

**Medicinalium observationum exempla rara, Accessere et alia quaedam /
[Rembert Dodoens].**

Contributors

Dodoens, Rembert, 1517-1585.
Benedetti, Alessandro, approximately 1450-1512.
Benivieni, Antonio, 1443-1502. De abditis nonnullis ac mirandis morborum et
sanationum causis.
Cornax, Mathias, -1564.
Gasser, Achilles Pirmin, 1505-1577.
Hertoghe, Gilles de, active 1549-1561.
Valesco, de Tarenta, active 1382-1418. Practica.

Publication/Creation

Lugduni Batavorum : Ex officina Christophori Plantini, 1585.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/y8rwened>


License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under
copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made
available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial
purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>













Dr Mountford Sale 2⁸:6
Garioponti Lib: VIII }
Rem. Dodonæi — }
Observationes Lara

65361/1


MEDICAL SOCIETY
OF LONDON





ACCESSION NUMBER

PRESS MARK

GARIOPONTUS







Reimb. Dodonæi Medici Cæs.

MEDICINALIVM
OBSERVATIONVM
EXEMPLA RARA.

*Accessere et alia quædam, quorum
Elenchum pagina post Præ-
fationem exhibet.*



LVDVNI BATAVORVM,
Ex officina Christophori Plantini.

M. D. LXXXV.

ЛІЧИВІДОВІ
ІНІЦІАЛОВІ
МУНОТАВАСІОН
АСАД АІІМЕКІ

СІМІСІ СІМІСІ
СІМІСІ СІМІСІ
СІМІСІ СІМІСІ



ЛІЧІВІДОВІ
ІНІЦІАЛОВІ
МУНОТАВАСІОН
АСАД АІІМЕКІ

ILLVSTRI AC
GENERO SO DOMINO,
D. WOLFANGO RVMPFF
LIB. BARONI IN WIELROS &c
Sac: Cæs: Ma^{is} Cubiculi præfecto;

REMB. DODONÆVS S. P.

ARTEM medicam, filiis
stris ac Generose Baro,
longam quæ efficiunt, ab
Hippocrate Medicorum
Principe, mox in initio
Aphorisi tria proponun-
tur. Præcipites videlicet agendorum occa-
siones: experimenta fallacia periculosaque:
et iudicij difficultas. Ex his autem, vel sola
iudicij difficultas, non modo prolixitatis, sed
et difficultatis ipsius artis, causa, vel præ-
cipua esse appareat. Occasionē siquidem etiam
repentinam poterit diligens ac expertus Me-
dicus non negligere: celeriter ac in tempore
idoneis remedii adhibitis. Experimentis
z non

E P I S T O L A

non facile falletur, ab expertissimis doctisq.
medicis frequenter compertis medicamentis;
vel sibi longo cognitis usu, qui cum iudicio
& ratione utetur: ab iis verò abstineat,
quorum facultates vel non satis exploratae,
aut cognitae fuerint: vel aliqui vehementio-
res, usuiq. minus accommodae, aut tutae sint.
In iudicio verò etiam exercitatissimos atque
doctissimos subinde hærere contingit: & non
modo in futurorum prædictionibus quando-
que falli, veluti in morbis acutis, quorum
non esse certas vel salutis vel mortis prædi-
ctiones Hyppocrates affirmat: sed tunc po-
tissimum, quando aliquid admodum rarum,
antea non obseruatum superuenerit sympto-
ma. Tale enim medici etiam doctissimi atque
expertissimi iudicium non raro interturbat,
ac dubium eum sollicitumque saepenumero
reddit, dum morbum atque eius causam co-
gnoscere laborat, nec citò aut facile vel omni-
no non assequi potest. Estis autem tantis dif-
ficultatibus occurrere veteres Hippocrates.
& Galenus magno studio voluisse viden-
tur,

DEDICATORIA.

tur, quando multorum ægrotorum, tum et curationum exempla suis operibus inseruerunt. Per hæc etenim medici doctiores, et in ferendo iudicio promptiores redduntur: certiusque aliquid affirmare queunt: morborum causarumq. cognitionem facilius consequuntur; dum videlicet præterita, quæ circa alios contigerunt in memoriam reuocant. Nec verò dubium esse potest, quin et maiorem lucem abditis et difficile cognitus siue morbis, siue causis, allaturi fuissent, si ex morbis mortuorum corpora secare et aperire ipsis vel lucuisset, vel libuisset. Neque enim vlla est, quantumcumque diligens, obseruatio, quæ de occultis siue abditis morborum ac symptomatum causis veritatem citius aut facilius ostendit, quam ipsa mortuorum corporum dissectio. Hæc etenim affectum mox ostendit manifestumque facit, tum ipsius, ac symptomatum causas cognoscere docet. Sed cum priorum sæculorum mores ac consuetudines non patarentur mortuorum aperiri corpora, quod potuerunt

EPISTOLA

Hippocrates et Galenus præstiterunt. Ille
siquidem v. ac vii. De Morbis popu-
laribus multorum agrotorum affectus nar-
rauit: Galenus vero, non in uno aliquo li-
bro, sed sparsim pluribus locis non pauca ad
morborum notitiam ac curationes facientia,
scripta reliquit. Quæ olim in unum volu-
men à Symphoriano Campegio contracta &
edita sunt. Posterior ætas maiore libertate
vsa, humana corpora aperire, et latentes
affectus, abditasque eorum causas, hac via
perquirere didicit. Quod cum medico utile
et quam maximè sit conducibile, nos quo-
que imitari, quando licuit, studuimus. At-
que hoc modo non solum difficultum aliquot
morborum affectuumq. abditas causas nos
deprehendisse: sed & nonnullorum veras
legitimasque curationes cognouisse & didi-
cisse libenter profitemur; quorum hactenus
curationes vel incognitæ, vel non satis recte
traditæ aut descriptæ fuerunt: ut in nostris
De Curandis morbis libris ostensuros nos
speramus, quos paulatim ad editionem pa-
ramus.

DEDICATORIA.

ramus. Harum autem Observationum, non
omnia exempla, sed rara quædam tantum-
modo, quæ medicorum opinionē superare pos-
sunt, in hunc libellū concessimus, quibus &
quæ circa alios nonnullos haud vulgares af-
fectus observata à nobis sunt, etiam adieci-
mus, quæ ita simul in unum librū contracta
Scholiis quoque nonnullis additis illustrauis-
mus. Hunc autem qualemcumq. studiorum
ac observationum nostrarum fructum, se-
mel quidem atque iterum editum, nunc ve-
rò etiam auctiorem factum, denuoque in
publicum prodeuntem, D.T. Illustris Baro,
offerimus ac dedicamus, quod veluti &
gratum acceptumq. futurum confidimus, sic
& sub Illustris nominis tui auspiciis appa-
renti, plurimum gratiæ atq. auctoritatis hinc
accessurum speramus. Bene vale illustris
Domine, & exiguum hoc chartaceum mu-
nuscum benigne à me accipito. Calendis
Decemb. cIc. Ic. LXXXIIII.

DIGESTA
REMB. DODONÆVS
LECTORI SALVTEM.

VANTVM ad omnium ar-
tium notitiam, amice Lector
experientia conferat, quan-
tum usus & exercitatio va-
leant, ex eo manifestissimum
ac cuius est, quod nulla sit non modò
ars, sed nec scientia quæ non usu experien-
tiæ inuenta, ab ipsis quoq. incrementum
accipiat. Ars etenim tunc existit, cum ex
multis experientiæ observationibus, vna de
rebus singulis nascitur notitia, ut in Meta-
physicis Aristoteles tradit: experientia au-
tem ex memoria, eodem auctore procedit.
Multæ enim, inquit, eiusdem rei memo-
riæ, vnius experientiæ vim efficiunt. Gale-
nus verò experientiam non modò memo-
riam, sed & observationem eorum esse ait,
quæ sàpè eodem modo comperta & per-
specta sunt. Hæc autem citra exercitatio-
nem consequi nequeunt. Quid siquidem
obseruare poterit, cuius tādem memoriam
habebit, qui exercitatione caret? Habet in
omnibus momentum exercitatio maxi-
mum,

AD LECTOR E M.

mum, quæcumque obscura, cognitu difficultia, hæc dilucida ac facilia reddit. Si quis hanc negligat, inquit Galenus, etiam optimo præditus ingenio, nunquam tamen illis melior artifex euadet, qui ingenij dotibus inferiores, exercitatione & studio superantur. His verbis quantum exercitatio & memoria in primis sint necessariæ: tamen in nonnullis amplius ac magis, quæ in plerisque defiderari videntur: veluti in his, quæ non ex penitus cognitis ac plenè perspectis, & nunquam fallentibus rebus continentur. Cuiusmodi ars est medica, in qua pleraque incerta, multa latitia non satis perspecta, quæ coniectura quadam, artificiali tamen subinde magis quæ ratione assequi datur. Naturalium etenim rerum notitiam hæc ars coniunctam habet, & de his quæ in aperio haud sunt, sed latent ac conspectum fugiunt, iudicat. Rerum autem naturæ notitia, nec facilis, nec expedita. Nam præter quod adeo innumera ac infinita sint à Deo Opt. Max. creata, ut nec ingenio comprehendiri, nec hominis artas ad cognoscendum

A D L E C T O R E M .

sufficiat, multorum etiam facultates tales sunt, ut nō ex sensibus qualitatibus, sed per solam experientiam cognoscantur: vt sunt quæ essentiæ proprietatem ac substantiæ formam consequuntur. Ad quarum notitiam comparandam diligent observatione ac exercitio in primis opus est. Desiderantur & eadem, vt de internis ac latentibus humani corporis affectibus rectè iudicetur. Non modò autem quæ corporis pars laboret, cognoscere satis est, sed quales sint morbi siue affectus, & quid expectandum, qualiter finiendi præscire expedit brevissime videlicet, an longus futurus sit morbus, salutarisne, an exitialis, per crisim, aut alio modo terminandus. Quomodo autem hæc sciri queant, multis Hippocratis ac Galeni scriptis docetur. Exstant illius Aphorismi, prædictionum ac prænotionum varij libri, tum & de morbis inscripti: Galeni de affectorum locorum notitia, de crisibus, & alijs eiusmodi. In quibus clarè ac dilucidè quomodo præsentes singularum partium affectus agnosci queant, docetur, & quid in singulis expectandum, quidue futurum, ostenditur. Non tamen tam exquisite, vt non quandoq. medicum falli contingat. Nam & ex-

A D L E C T O R E M .

& exercitatissimus etiam medicus, ac in artis operibus diutissimè versatus , quantumuis acri ingenio præditus , veritatem quandoque haud assequitur. Proinde non temere κρίσις χαλεπή siue iudicium difficile in Aphorismorum initio ab Hippocrate asseritur. qui etiam se senem veritatem haud assecutum & deceptū fuisse ingenuè agnoscit, lib. 5. De Morbis popularibus. Atque ex his manifestum, experientiam, longi temporis exercitationem , haud fallibilem memoriam , in medico vel plurimum requiri. Tantùm abest, vt vel citra exercitationem, vel paucorum annorum studiis ars compræhendi queat: vt nonnulli somniantes aut citius delirantes sibi persuadent. Fieri tamen potest, vt ab huiuscemodi medicis nonnulli curen tur, sed fortuna (quæ vbique plurimum etiam potest) non artis scientia aut industria. Tale enim aliquid ipsis contingit, quale nauigandi haud peritis nautis. Secundo vento dum hi vela laxant , propitio flumine aut mari nauigant , ac cælum sudum est, nullæq. tempestates suboriuntur, etiam delinquentes ac negligentius nauim dirigentes, in errore non depræhenduntur , & æquè portum ac periti assequuntur. Sed

cùm

A D E C T O R E M A

cum ventorum turbines omnia perturbant,
sæviunt tempestates, fluctibus naues iactan-
tur, tum demum quām imperiti, & quām
dirigendæ regendæque nauis parum experti
depræhenduntur. Haud aliter sanè cum
non exercitatis medicis agitur. Quandō
enī homines nihil graue patientes, neque
aliquo magno morbo occupatos curant,
etiam à recta methodo subinde deuiantes,
non citò deliquisse depræhenduntur, imo
dum erōre quodam morbum protrahunt,
ad sanitatem ægro reuerso magnum ali-
quid præstisſe putantur. Vbi autem vche-
mens, difficilis morbus huiusmodi homini-
bus curandus contingit, tunc demum illo-
rum ignorantia fesc prodit, dum veluti pa-
lantes nunc huc, nunc aliò consilia sua di-
rigunt: nec quod statuant ac definiant, certi
habent quicquam. Atque sic demum illo-
rum manifesta fit imperitia: & quantum
experientia medico conferat, diligensque
multorum obseruatio conducat, palam ap-
paret. Quæ omnia Medicinæ Princeps
Hippocrates diligenter considerans ac ex-
pendens, tum & veteres illi, qui vel filij vel
discipuli, nonnullorum librorum, ut existi-
matur, auctores, qui huius nomine inscri-
buntur,

A D L E C T O R E M .

buntur, non satis habuerunt, multis præcep-
tionibus artem docuisse , sed & exempla
addi operæ pretium rati sunt : & tam éo-
rum, quæ circa mutationes aëris ac tempo-
rum constitutiones, quæ penes ægrotantes
diligenter ab ipsis considerata ac obseruata,
veluti libri ἐπιδημιῶν, siue De Morbis po-
pularibꝫ, manifestè ostendunt : exemplis
vtriusque generis abundantes. Hoc autem
modo nec exigua , nec infrugifera arti me-
dicæ accessio facta est. Exemplis siquidem,
partim quæ præceptionibus cōtinentur , fa-
cilius in memoriam reuocantur , aut ob
oculos posita eidem citius commendantur:
partim verò ad nouas præceptiones via pa-
ratur. Vbi etenim eadem sæpius obseruata
fuerint similia, tandem præceptum ac regu-
la nascitur. Nam artem experientia facit,
exemplo monstrante viam. Veterum ho-
rum laudabile istud institutum nonnulli
posterioris ac nostræ ætatis viri doctissimi
imitati sunt , qui ab ipsis diutina exercita-
tione cognita, editis scriptis studiosis com-
municarunt rara quidem & abdita , quo-
rum in antecessorum scriptis similia haud
extant. In horum numero vel primus oc-
currit Antonius Beniuénus Medicus sua
ætate

A D L E C T O R E M.

ætate admodum celebris, qui rarissimarum aliquot obseruationum libellum reliquit, titulum cui fecit, De Abditis nonnullis, ac mirandis morborum & sanationum causis. Alexander Benedictus paucula quædam etiam exempla suis libris rarissimorum casuum inseruit: quemadmodum & Valescus Tarantanus olim, & in suo De Medendis morbis Philonio. Iacobus Hollerius, & Valeriola viri doctissimi Obseruationes quoq. suas haud vulgares ediderunt. Clarissimus Ioannes Fernelius tametsi de industria hu- ius scemodi argumentum non videatur tra- Etasse, in libris tamē De Partium morbis & symptomatis quosdam refert affectus, qua- les apud nullum alium descripti repetiun- tur. In eodem autem ac simili arguento nos nunc versamur, clarissimos ac doctissi- mos viros si non assequi, saltem subsequi aliquo conantes modo. Scripsimus idcirco & nonnulla de admirandis, nec passim ob- uiis affectibus, quos supra quadraginta an- nos, quibus in artis exercitio versamur, ob- seruatos habemus. Potuissemus plura ex-empla adferre, sed ab iis libenter abstinui- mus, quæ alij ante nos descripserunt. Hæc verò à nobis litteris mandata, licet fortassis opinio-

A D L E C T O R E M.

opinionem ac fidem superare videantur, sic tamen se habuisse affirmare verè possumus. Cùm autem hæc Medicinalium Obseruationum exempla, iam secundò in lucem ventura erant, ipsa recognouimus, & non exigua accessione locupletauimus, ac additis scholiis etiam illustrare studuimus. Adiunximus verò & his similis argumenti librum Antonij Beniuencij Medici Florentini, cum paucis aliquot annotationibus nostris: ac deinde & exempla quædam ex Valesci Tarantani, & Alexandri Benedicti libris transcripta, rara certè & admiranda quoque. quibus accesserunt & Historiæ aliquot gestationis in utero fœtus mortui Matthiæ Cornacis, Ægydij Hertogij, & Achillis Gassari: quæ rarissimè contingentibus non temerè annumerandæ sunt. His autem qualibusunque benignè ac feliciter fruere. Anno M. D. LXXXI.

ELEN-

ELENCHVS EORVM
QVAE ACCESSERVNT.

ANTONII Beniuuenij Florentini Me-
dici & Philosophi, De Abditis nonnul-
lis ac mirandis morborum ac sanationum
causis Liber, cum Annotationibus Do-
donæi.

MEDICINALIVM Observationum
exemplarara Valesci Tarantani, & Ale-
xandri Benedicti.

HISTORIAE gestationis fœtus mor-
tui in vtero, Matthiae Cornacis Rom.
Regis Medici, Ægydij Hertogij Medici,
Achillis Gassari Medici.

R E M-

REMBERTI
DODONÆI
MEDICI CÆSAREI,
MEDICINALIVM OBSER-
VATIONVM EXEMPLA RARA.

*De Cerebri concusione, & ossis
petroſi fissura.*

CAPUT I.

VIDAM cum baculo crasso,
ad sinistram capitis partem,
supra aurem percussus, non
existimabatur insigniter læ-
sus. Nam cutis integra, nul-
lam læsionis notam ostendebat: osse inte-
rim petroſo, quod subest, fisso, ac secun-
dum latitudinem magnam rimam haben-
te. Huic mox superuenit sopor, non tam
profundus tamen, quin interpellatus exci-
tari facile potuerit: excitatus verò, facile
iterum oculis conclusis, in soporem relap-
sus est: donec tandem post (plus minus)
dies 14. grauem soporem, à quo excitari

A non

non potuit, mors sequeretur. Decubitus
toto tempore erat supinus, vrina & aluus
rarò reddebantur, tandem etiam citra sen-
sum profluebant. Lenta admodum, sed
nunquam remittens, aderat febricula. Ca-
pite huius post mortem aperto, reperta est
durior cerebri membrana, sub osse petroso,
sanguine omnino suffusa, purulento etiam
circa cerebrum humore consistente.

S C H O L I O N .

C O N C U S S V M autem huic fuisse cerebrum
aperto capite satis apparuit, quanquam &
hoc ex ipsa ossis petrosi insigni rima satis manife-
stum: neque enim tam violentus ictus absque ce-
rebri concussione fieri potuit. Cur autem non sta-
tim mutus factus fuerit, perquirendum videtur.
Ait enim Hippocrates: *Quibus cerebrum aliqua ex
parte concussum fuerit, necesse est statim mutos fieri:*
Sect. septimæ, Apho. 60. Eadem verò & De mor-
bis primo, sed minus concisis verbis habentur: *Si
cerebrum, inquit, concussum fuerit, ac doluerit eius
qui percussus, mutum statim fieri necesse est: ac neque
videre neque audire.* Sed hic Aphorismus, aut hæc
Hippocratis verba, non de quavis cerebri concus-
sione, neque de tali, qualem descripsimus, sunt
intelligenda; sed de violentissima tantum, veluti
cum cerebrum concuti contingit (vt Galenus in-
terpretatur) propter casum aliquem totius corpo-
ris violentum ex locis altioribus factum. Iacent
enim

M E D I C I N A L . O B S E R V A T .

enim tunc eodem quo apoplectici modo, absque sensu pariter ac motu. Quando verò minus violenta est concussio, non statim muti redduntur, sed tardius & aliquot post dies demum: veluti percusso huic contigit, tum & illi, de quo Hippo Epidemion quinto: *Qui lapide, ait, in capite percussus est à Macedone, corruit. Tertia die voce destitutus erat, anxietas, febris tenuis, pulsus non valde in temporibus. Nihil omnino audiebat, neque sapiebat, non quietus, sed quarta mouebatur, humiditas circa frontem, & sub nasum, & usque ad mentum, & mortuus est.* Veluti enim maximos & violentissimos casus, omnia grauiissima succedunt, ita minores, molesta minus consequuntur accidentia; aut tardius superueniunt.

*De vulnere cutis capitis, quod saeuissima
subsequuta sunt symptomata.*

C A P V T II.

ALTERI vulnus illatum in superiore capitis sinistra parte, cum instrumento retuso, sed nonnulli ponderis, quod existimabatur periculi exors, ut pote cranci osse illæso: idcirco etiam negligentius curatum. Superuenit huic & sopor ille, qualis superiori: ex castris, ubi vulnus acceperat, tunc in vicinam urbem translatus fuit. Decubitus huius quoque supinus fuit, pulsus

A 2 paruus

paruus ac creberrimus, mens non nihil læsa, ad interrogata enim haud rectè respondit. Huic ingrauescente malo, vniuersum dextrum latus resolutum est: (cùm tamen in sinistra capitis parte vulnus esset) inde perniciousus sopor, à quo excitari non potuit, breui vitæ exitu subsequente. Cranio huius sublato, reperta est dura meninx sinistra parte liuens, ac similiter sub hac cerebri substantia, quæ apparebat, sphacelo correpta: dextra cerebri parte cum sua membra na haud malè affecta: cranio etiam unde quaque integro, nec rimam ullam aut fissuram habente.

S C H O L I O N .

AP P A R E T & huic concussum fuisse cerebrum. Nam dextræ partis resolutio vulneris occasione non videtur accessisse, sed aliam ac maiorem caussam habuisse, ipsam videlicet cerebri ab ictu per instrumentum grauioris ponderis concussionem. Reliqua symptomata vulneri successisse potuerunt. Capitis siquidem osse tenus vulneribus, etiam osse cranij haud læso, grauia quandoque symptomata accedunt: ac tandem ipsa mors. Aër frigidus hisce vulneribus inimicus, à quo si vulneratus sc̄ non contineat, s̄æpe in periculum seipsum adducit. Complures referri possent, qui ex leui vulnere capitinis, pericranio tantum vulnerato

M E D I C I N A L . O B S E R V A T .

vulnerato, obierunt, qui sese aëri frigido exposuerant. Superuenit autem istis sensuum stupor, ac tandem profundus ac noxius sopor: nonnullis etiam febris: deinde mors. Sed resolutionem aliquius partis non memini in quoquam capitc vulnerato alio, quam in hoc, me obseruare. Quam obrem non vulnus modò, sed cerebri concussio morti occasionem præbuisse videtur. Cur autem si ex leui vulnere capitis perierint, qui sui nullam aut exiguum rationem habentes aëri frigido sese exposuerunt, nulla alia apparet causa, quam quod frigidum per denudati ossis cranij poros ad cerebrum perueniens, sphacelo inducto, ipsum vitauerit: quo superaccidente, æger haud diu viuere potuerunt. Nam ut Apho. 51. lib. 7. *Quibus cerebrum sphacelatum, id est, corruptum est, in tribus diebus pereunt; si vero hos euaserint, sani fiunt.* Quæ sententia & in Coacis Prænotionibus paulò aliter sic habetur: *Cerebro corrupto alijs in tribus diebus, alijs in septem moriuntur: hos vero si effugerint, seruantur.* Cuius sententiæ postrema verba de sphacelo confirmato veritatem habere non possunt, ut Galenus satis manifestè in Commentariis testatur: sed de incipiente tantummodo, & leui ad sphacelum dispositione prævia, accipi debent; à qua æger, diligenti adhibita curatione, restitui potest, vt & Hippocrates lib. 3. De Morbis scriptum reliquit. *Quod si morbus leuiter, inquit, corripiat, ubi sanguis discessit, melius æger habet: si vero vehementer corruptus fuerit, citò perit.*

De cerebro punctim læso.

CAPUT III.

SIMILIA symptomata superuenierunt & cuidam, cui durior cerebri membra na, anteriore parte punctum læsa fuit. Vulnus hic acceperat cum tridentis acuto radio, in superiore dextri oculi palpebra sub ipso supercilio, oculi bulbo haud læso: exigu momenti vulnus habitum: citò quoque in palpebra coaluit: interim vulneratus sopore tali correptus, quali is qui cum baculo percussus fuerat, ac eodem affectus modo. Adhibita fuerunt multa capiti remedia. non etenim ex tam exiguo vulnere, sed alia ex causa putabantur talia superuenisse accidentia.

Cum verò nullis remediis affectus cederent, superueniens noxius sopor, vitæ finem fecit. De causa mortis cum dubitatio esset & concertatio, primum exemptus est oculus, atque tunc compertum radium non tantum palpebram vulnerasse, sed ulterius progressum os illud penetrasse, quod cavitate sua oculi bulbum continet. Exempto verò & frontis osse, apparuit durior membra-

membrana & vulnerata & sanguine multo perfusa, iam corrupta cerebri proxima vulneri substantia ac vitiata. Quæ dubio procul exitij causa.

SCHOLION.

HIPOCRATES lib. Prorrhетicon statim initio, & similiter in Coacis Prænotionibus, interrogare videtur, num sic affecti Phrenitici sint. *Qui soporosi, inquit, inter initia fiunt, cum capitis, lumborum, præcordij, collique dolore vigilantes num phrenitici sunt?* Respondet Galenus in Commentariis, Phrenitum non appellari (propriè videlicet) nisi febricitet æger, & continuò delirer, ac continuitate dementiae, quodque simul cum febri fiat, phrenitin agnoscere : phreniticos tamen & hos esse, qui soporosi existentes sapiunt, sed & delira quandoque loquuntur, atque à præsentibus expergefacti stupefactis similes videntur : & tales quidem fuisse, de quibus Hippo. Epidem. lib. 3. Sectione 3. hunc in modum scribit: *Neque Phreniticorum quisquam insaniuit, vt in aliis, sed alia quadam veternoſa in ſomnum delatione, capite grauati moriebantur.*

Ex quibus appetat, cùm eum cui os petrosum, fissum, & alterum in capite vulneratum, tūm & hunc, cui punctionem lœsum, phreniticos dici potuisse: cùm & ipsi excitati, veluti stupentes, mox in soporem relapsi, subinde ad interrogata rectè responderint, quandoque verò aliena.

CAPUT IIII.

DIFFERENS à superioribus affectibus Catochus est. Hic quandoque absque febri inuadit: subinde eidem superuenit, & quidem intermittent: vt nobis quandoque obseruare contigit. Inuadit autem paroxysmi tempore & cum ipso definit, si præposterè nihil fiat. Si etenim tempore paroxysmi pleraque temerè tentantur, non raro in ipsa accessione æger deficit. Expectanda est febris remissio, & couisque dum vires non nihil fuerint reparata, prius tamen, quam altera subsequatur accession, malo occurrentum. Si etenim secundò superuererit, perniciem adfert. Neminem certè liberatum nouimus, cui secundò Catochus superuenit. Non potis siquidem natura videtur, tam graue malum bis sustinere. Adhibent nonnulli mox Catocho cum febri correptis quædam remedia, qualia apoplecticis subinde etiam temerè infunduntur, & adhibentur: de quibus in cap. de Lauandula, ac de Vino stillatitio in nostris Historiis scripsimus: que & Catocho correptis nocent ac perniciofa sunt.

sunt. Magis ferendi videntur, qui in ipsa accessione vel sanguinem ducunt, vel emata iniiciunt, tametsi & hoc modo pauci seruati. Tutissimum nobis visum, febris remissionem & *anupēzian* expectare: in ipsa verò accessione, præter diuersiones, veluti crurum frictiones, nihil adhibere. Ita certè referre possumus, nonnullos nostra opera sanitati restitutos.

Generosus quidam vir, posteaquam febri intermitente aliquot diebus laborasset, & iam ab ea liber videretur, subito in febrem iterum relapsus, atque vnà in veluti stuporem: membra nulla mouit: videbatur oculis apertis omnes intueri præsentes, interim vel digitis, vel re quavis alia propè admota, ne nictabant quidem palpebræ. Febris accessio satis vehemens fuit, horarum (plus minus) 12. interea solis diuertentibus frictionibus usi, donec manifestam febris declinationem cōsequuti, sub cuius finem, sponte somno superueniente, quietem permisimus. Cum autem à febri liber esset, & vires vt cumque reparatae, sanguinem pro virium robore detraximus, idoneaque viatus ratione instituta, alteram accessionem expectauimus, quæ omnino exigua fuit.

A s post

post hanc purgante medicamento exhibito, generosum hunc virum à febri & Catocho liberauimus.

Similis & mulieri cuidam affectus contigit, quæ & in ipsa accessione correpta, oculis apertis immota persttit: huic sanguinem non detraximus, sed in die intermissionis purgans exhibuimus medicamentum: quod certis de causis utilius videbatur. Atque hoc modo, hæc quoque seruata, sanitatique restituta, libera à tam graui malo euasit. Potuit hæc referre nonnulla eorum, quæ contigissent circa illam, quo tempore Catocho detinebatur: sed generosus vir, de quo scripsimus, minimè. Mansit huic & à morbo isto nonnihil læsa aliquanto tempore memoria. Profuit nonnullis in ipsa accessione oxyrhodinon, ex aqua & acetō rofaceis fronti admotum: sed quando post febris paroxysmum nihil præterea adhibetur, recurrens cum febri Catochus eos sustulit.

SCHOLION.

ATQVE huiuscmodi affectum κάτοχον à veteribus, ac subinde κατοχὴ dici, ex Pauli Aeginetæ cap. 10. lib. 3. manifestum est: **Catochum** siquidem ait, esse, quando ager subito corripitur,
et in

& in illa permanet figura, qua correptus est classis oculis, vel respiciens. Atque sic affectos naturo-
mērūs appellat: quales, de quibus iam scripsimus,
qui in ea, qua correpti, figura permanere, donec
accessionis finis esset. Dicitur verò & idem affe-
ctus *natānerīs* siue Detentio: & *καθάρισμα*, id
est, vigilans sopor. Sunt tamen qui *κατοχήν* à vigi-
lante sopore differre velint, & cum profundo so-
pore conuenire: sed his contradicit Galenus lib. 4.
de locis affectis: ubi per soporem claudi palpebras,
in Catocho verò siue Catalepsi apertas manere
scribit. Causa morbi pituitosus humor cum bilio-
so temperatus: ut ait Paulus Ægineta: Aëtius etiam
ab humore melancholico. Atque hanc ob causam
non ardentibus febribus, sed (qui comes febrium)
tertianis haud exquisitis superuenit, quæ non ex
sola bile, sed pituitoso humor permixta originem
accipiunt. Quod & sanguis generosi viri ostendit,
cui multa adeò pituita permixta, ut concreta
per vniuersam aquam (ex manu siquidem sanguis
missus) plurima ferretur, manibusque eximi po-
tuerit, ac impositis virgulis copiosa, quando aufe-
rebantur, adhæresceret: unde & ex pituita per-
mixta hunc morbum natum colligi potuit.

Remedia autem non prius adhibenda, quām
accessio febrilis desierit, idcirco admonuimus,
quod affectus hic ante febris declinationem desi-
nere nequeat: quo tempore etiam sponte frequen-
ter cessat; adhibitis leuibus, vt diximus, diuersio-
nibus. Atque hac de causa, sanguinem mox de-
trahere, febre præsente, vel alia tentare, frustra est;
& sāpe

& saepe cum ipso laboratium periculo ac pernicie. Accedit nostrae sententiae & Hippocratis auctoritas, qui in huiuscemodi morbis, in quibus quis repente voce destituitur, veluti in Catocho, sanguinem non suadet detrahendum, nisi absque febre laborans fuerit. *Quicumque, ait, drepente voce destituuntur, si sine febre fuerint, venam secato.* Epid. 2. sec. quinta.

De Catocho absque febri.

C A P V T V .

SUPERVENIT autem Catochus non solum febricitantibus, sed & nullo alio præcedente morbo hominem quandoq. occupat, ut superiore cap. scripsimus, & Aëtius quoque Tetrab. 2. lib. 2. cap. 4. testatur. Sic vtiq. contigit honestæ cuidam matronæ natæ annos (plus minus) 45. quæ postea quam cum aliquot amicis cœnasset ac hilaris fuisset, subito Catocho occupata est. Videbatur omnes intueri, interim neminem agnoscebat : neque interpellata cuiquam respondit: corporis nullam partem mouebat : sed quomodo correpta, ita permanebat, donec ab effectu libera fieret. Erat autem hæc obesa, multis repleta humoribus: pulsus magnus, fortis & æqualis. Detraximus huic sanguinis è dextri pedis vena,

vena, magno digito vicina, abundè multum. Verùm cum nec sic morbus mitior fieret, enema satis acre iniici curauimus, quo cum irritata aluus ad excretionem impelleretur, mox sensuum suorum composfacta est, & aluum exonerauit, nihil eorum, quæ ipsi facta essent, sciens. Admirabatur ad alui excretionē se bister ue extimulari, sed multò amplius, cùm cerneret pedem fasciola obuinctum. Nam sanguinis missio-nem numquam anteà admirerat: vt potè quæ non modò ab omnibus medicamētis, sed & auxiliis ac Medicorum consiliis abhorreret. Atque hinc, cùm remedia nulla deinceps admitteret, tribus pōst mensibus, cum capit is grauitate, & assidua in somnum delatione, tandem & accedente febri lenta, in grauem soporem incidit, à quo cum nec sanguinis missione etiam repetita, nec enematis, nec etiam topicis remediiis excitari potuerit, in viuis esse desiit.

SCHOLION.

CATOCHVM quoque hunc affectum initio fuisse, ex iis quæ superiore cap. scripsimus, satis manifestum. Sanguinem verò ex pede duximus, sexus rationem habentes. Nam subinde san-guinis

guinis è brachio detractio incommodè fit, præser-
tim iis, quæ facilè ab utero afficiuntur. quibus ex
pedis vena tutius detrahitur. unde & duplex ut
Alexander Trallianus ait, comodum sequitur.
Nempè consuetarum vacuationum admonitio: &
ab affectu liberatio. Iam uteri strangulatione cor-
reptæ, quandoque Catocho occupatae videntur,
ut Paulus Ægineta testatur: & in Definitionibus
Medicis Galeno ascriptis reperitur: ubi tria Cato-
chi genera referuntur, quorum secundo, vigilanti
dicto, ex utero præfocatio affinis. Sanguis autem
huius admodum crassus fuit, aquæ adhuc calentis
mox fundum petuit, atque illic simul concrescens,
in magnam molem coaluit. Cum autem remedia
nulla ægra admitteret, quibus vel reliquum humo-
rum expurgari, vel cerebro ac capiti consuli po-
tuisset, morbus in Lethargum commutatus.

De Catocho in senectute.

CAPUT VI.

SIMILEM superiori affectum in senectute
quadam virginie moniali me quoque
obseruare quandoque memini. Ætatis hæc
numerabat annos (plus minus) LXX. ha-
bitu corporis extenuato ac macro. rigere ac
obstupescere tota videbatur: oculis in om-
nes intentis non mouebatur, non loqueba-
tur, non respondebat. Huic nec sanguinis
missionem, nec enemata adhibere ex re
fuit.

fuit. Exhibuimus autem aquam è vino stilatitiam, sæpius repetita destillatione purissimam. qua assumpta, mox ad se, vniuerso rigore soluto, rediit. Nec alio remedio deinceps opus habuit, quām quo vires & calor naturalis refici poterant.

S C H O L I O N.

IN tam senili & extenuato corpore, etiam tenui victus rationi, ex professo monastico, assuefacto, multos humores collectos fuisse non fuit verisimile: proinde non erat quod metueremus, extenuatis & fusis humoribus, affectum ex usu huius vini intensum iri. Quod ubi humorum cōpia subest, contingit; ut in cap. De stillatitio vino in nostris De Historia stirpium Pemptadibus scripsimus. Refert & duorum eiusmodi exempla Iohannes Fernelius De Morbis & symptomatis lib. 3. cap. 2. Catochi absque febri extat & exemplum apud Galenum Propheticorum commentario LVI. lib. secundi. *Quidam etiam ex nostris, inquit, condiscipulis, cum assiduo disciplinarum studio sese fatigaret, malo hoc correptus est. Iacebat veluti lignum prorsus inflexus, rigidusque atque extensus, videbaturque oculis aperiis nos ita intueri, ut ne continuaret quidem, nihil tamen loquebatur.* Is quoque tempore eodem, quæ loqueremur audire se dixit, quamquam non evidenter clare que; nonnulla item & memoria tenens referebat, præsentisque omnes sese conspicere dixit, ita ut quorundam actiones recordatus exponeret: sed neque loqui posse, neque membrum ullum mouere.

De Lethay-

De Lethargo.

CAPUT VII.

INTER soporiferos affectus Lethargus
est. Catocho tantò diffcilior ac pericu-
losior, quantò causa eius frigidior, & visci-
dus pituitosus humor amplius præpollet.
Non subitò, velut Catochus, apprehendit,
sed sensim somniculosis obrepit. Mulier
quædam honesto loco nata, cùm aliquot
diebus capitis grauitate laborasset, adeò fuit
somniculosa ac in somnum propensa, ut,
quæcunque agens, dormire semper cupe-
ret, ac assidue in somnum dilaberetur: à
quo initio excitari potuit, tandem verò ac-
cedente febri non potuit. Remediorum
vsum hæc neglexerat, nec Medicum accer-
siri admittere voluerat: itaque non prius
vocatus, quām omni sensu destituta, in
grauissimum soporem delapsa esset. De-
tractus illi mox sanguis fuit è vena iuxta
digitum magnum dextri pedis: enemata
iniecta: cucurbitulæ natibus & humeris ad-
motæ: topica multa alia adhibita: verùm his
non proficientibus, tandem mors superue-
nit. Capitis huius cranij osse sublato, ab-
scessus

scessus in anteriore cerebri parte repertus,
& pus interiori cranij ossi parti adhære-
scens: quod & è naribus, paulò ante mor-
tem irritatis, profluxerat.

SCHOLION.

AETIUS ex variis causis Lethargum origi-
nem ducere refert: & quandoq. cerebrum
per consensum, quandoque verò primariò labo-
rate. Verùm iste Lethargus non per consensum,
sed proprius cerebri morbus fuit, & quidem par-
tis anterioris, cuius partis affectum Lethargum
esse veteres testantur. Galenus morbum esse refert
Phrenitidi contrarium: Phrenitis siquidem fit ex
bilioso humore superabundante: Lethargus verò
cum pituitosus præpollet, quē in præsenti Lethar-
gica copiosum fuisse pituitosus sanguis ostendit,
atq. adeò quidem lentus ac viscosus, ut simul cum
aqua permixta, instar iuris carnis musculosæ, con-
cretus mox fuerit, tenuis glutinis, aut gelatinæ vul-
gò dictæ, speciem & consistentiam referens: quod
non nisi admodum crudo pituitoso viscidoq. con-
tingit. Talis autem sanguis in quounque morbo
apparuerit, crudorum pituitosorum humorum re-
dundantiam ostendit, & morbum lethalem aut
diuturnum ac difficile curabilem. Nobis certè le-
thales obseruati sunt morbi, tali apparente san-
guine. Sed ad Lethargum revertantur. Huic re-
spondere Paulus ait Caron: sed tamen hoc discri-
mine differre, quod Carus vel absque febri acce-
Caros.

B dat:

dat: vel ipsam subsequatur: è contrà verò Lethargus prior inuadat, febris deinde succedat. Caro similis est grauis & profundus somnus, qui ebrios occupat. Suidas hunc Caron etiam appellat: *καρός* ēstì n̄ οὐοτοσίας ἐγκινομένη μέση, n̄ καταροπή: hoc est, Carus est ex vini potatione ebrietas, & grauis sopor.

De Apoplexia fortissima.

C A P V T VIII.

F O R T I S S I M A Apoplexia correpta fuit honesti ciuis vxor, cum ad 48. ætatis annum peruenisset. Habitu erat corporis ἐνσάρκω ac carnoso: temperamento calido, & mediocriter humido, sanguinis redundantiam attestante. Concidit subito: seniores medici vocati nihil spei superesse iudicabant: tandem xiiii. aut xvii. ab inuasione horis vocatus accessi, tūm temporis adhuc iuuenis: obseruauigravissimam cum diffcili admodum respiratione Apoplexin: pulsum fortē & magnum, tentandam esse curationem existimauī. Itaque sanguis illo die bis, & quidem satis copiosus, detractus, semel ē brachio dextro, deinde ex pede: enemata quoque hoc ipso die satis acria duo iniecta. deinde continuis diebus singula: adhibita & localia quædam:

Ita

Ita tandem octauo aut nono die suos domesticos agnoscere cœpit, & non nihil balbutire. postea purgantibus medicamentis per os exhibitis : deinde & *πάρωνοις*, apophlegmatismis, aliisque similibus vfa, meliusculè habuit : verum eousque perduci non potuit, vt mentis ac sensuum integrè compos fieret, aut pedibus consisteret. Mansit reliquo tempore impotens: sedebat ac gestabatur in sedili, ita tamen aliquot annis superuixit.

S C H O L I O N.

SOLVERE, inquit Hippocrates, apoplexiam formem impossibile : debilem verò non facile. Galenus hunc Aphorismum exponens, maximam apoplexiā nullam, ait, admittere curationē, atque ab hac hominem seruari non posse. Maximam verò interpretatur, in qua respiratio in totum prohibetur. Talis si superueniat, haud dubio, homo nec seruari nec diu superesse potest: absque respiracione siquidem viuere nequit. Sed tam vehemens apoplexis, vt mox in totum prohibeat respiratio, non facile alicui superuenit. Nam tametsi vniuersum corpus sensu motuque destituatur, respiratio tamen non in totum aufertur. Respiratio etenim composita actio est, partim ex arbitrio & voluntate: partim à natura, vt in lib. Galeni cui titulus INTRODVCTIO siue MEDICVS.

Occupato cerebro cessant motus voluntarij: non idcirco tamen, qui à natura fiunt: ut sunt cordis & arteriarum. Proinde nec citò nec facile respiratio in totum aufertur. Nam vt cumque ab actione vacet voluntatis arbitrium, natura tamen nihilo minus officium præstare conatur; veluti in somno facit. Intercipitur quidem quandoque subito respiratio, sed promptissimè copioso aliquo humore in pectus affatim decumbente, qui omnem spiritui viam intercludat. Sed hic affectus ab Apoplexia differens est: Nam qui ab huiusmodi catarrho subito obruuntur, sensu & mente integris suffocantur. Apoplectici & sensu & motu priuantur priusquam è vita decadant. Defluente humore exoneratur cerebrum; in Apoplexi occupatur & grauatur ab humoribus: Proinde sensus & voluntarij motus desinunt; affecto nempe principio, Naturales verò motus, tum & ipsa respiratio non facile cessant; etiam in vehementissima ac fortissima Apoplexia. Testatur Paulus Ægineta in maxima Apoplexi respirationis aliquid superesse: *Seruatur, inquit, in Apoplexi modica quadam respiratio, qua si permultum à naturali functione recesserit, maximam esse affectionem putandum: si paululum, exiguum: deterrima verò est, respiratio cùm intermittitur: vel etiam ubi magna cum violentia trahitur.* Et quidem quam difficilima huius apoplecticæ respiratio fuit, & magna cum violentia attracta. Quamobrem non sumus veriti affectum Apoplexiam vehementissimam ac fortissimam nuncupare, attestante hoc quoq. diuturno sensuum motusque impedimentum.

dimento. Non tamen ex hac mortua est, sed integrè haud liberata, ad sanitatem enim & mentis integritatem perduci non potuit.

Videtur aliquid tale voluisse Hipp. cùm ait, *λύειν αποπλεξίν ισχυειν μετά αδύνατον: id est, solvere appolexiā fortē impossibile.* Nec enim verba, *λύειν αδύνατον,* mortis necessitatem, sed restitutio-
nis ad integrā sanitatem impossibilitatem ostendunt. Aliud est hominem non posse seruati: aliud
est non posse ad sanitatem perduci. Nam malè va-
lentibus etiam vita seruari, & prorogari quandoq.
potest: vt in hac apoplexīa compertum. Con-
firmant hanc expositionem sequentia verba: *ἀσθε-
νέα δὲ & πνιγὴν: hoc est: debilem non facile.* Nam eos,
qui debili aut exigua apoplexia occupantur, in vita
seruare haud est difficile: sed ita curare vt nulla la-
bes relinquatur, hoc opus, hic labor. Multos certè
enumerare possēmus à leui apoplexia restitutos: &
nonnullos ita restitutos, vt nulla in ipsis præcedētis
morbi manifesta vestigia relicta sint; sed tamen ali-
cuius partis stupor aliquis, vel linguæ aliquod im-
pedimentū remansit; quod subinde tam exiguum,
vt in solo cantu deprehendi potuerit. Nihil autem
consultius in hoc morbo, quàm confessim sangu-
inem mittere, etiāsi corporis temperies frigidior, &
morbi causa pituitosa videatur, si modò vires fe-
rant. Nequit enim citius à superfluis humorib. exo-
nerari cerebrū, quàm per sanguinis detractionem:
& humores cerebrum occupantes absque sanguine
permixto non sunt, nisi in valdē senibus, quibus
& vires imbecillæ, & pituita copiosior quàm aliis.

Enemata verò missò sanguine iniici etiam conuenit, donec ad sumendum aliquod purgans laborans suffecerit. Formulas autem horum unusquisque in artis operibus versatus facilè inuenire & pro conditione laborantis præscribere nouit, sic ut à nobis ostendi non sit opus. Vnum tamē admonendum; nonnullos Colochyntidem decoctis ad enemata Apoplecticorum addere, & vt plurimum eius manipulum vnum, qui (plus minus) drachmam vnam pendet. Tale autem decoctum sæpe non ad vnum, sed frequenter ad duo aut tria enemata sufficit. Excessus enim Colochyntidis periculo non caret. Abradit enim hæc intestinā & oscula aperit venarum ad ipsa pertingentium. Memini ab enemate, cui incocta fuerat Colochyntidis drachma vna, hominem robustum non diu superfuisse, & mox post mortem, aliquot deinde horis sanguinem copiosum per sedem effluxisse.

De Catarrho siue distillatione suffocante.

CAPVT IX.

DEFLVERE ex capite humores in pectus ac pulmones haud rarum est. inde siquidem tusses, raucedines, respirandi difficultates: & si humores falsi aut acres, pulmonis exulcerationes & phthises proueniunt: quod si verò & in pulmonibus vitium, latentes anginæ succedunt. Sed adeò copiosum deferri, vt hominem mox suffocet,

cet, perquam rarum. Generoso cuidam viro sic tamen contigit.

Annos vitæ ferè attigerat L X. corpore non extenuato, sed bonæ habitudinis, liberaliore potu subinde delectabatur; podagra, quandoque molesta: purgari aliquando assueuerat: aderat lassitudo & humorum plenitudo: de medicamento purgante sumendo deliberauerat, cùm subito nocte media catarrhus vehemens ipsum obruit: sentiebat defluctionis velocem impetum: auxilium implorabat, sed priusquam quisquam adesse potuerit, suffocatus est. A morte mox copiosa pituita lenta ac viscida ex ore profluens: quæ haud dubio, in pulmones affatim defluens repentinæ mortis ac suffocationis caussa fuit.

SCHOLION.

ISTIUS casus superiore scholio meminimus: Hippocrates verò in fine xii. Aphoris. sectione 3. destillationem quandoque citò etiam interimere testatur. τοῖν δὲ, ait, πρεσβυτέροις κατάρροες συντόμως ἀπόλλυντες: id est: senioribus autem destillationes, que citò interimant. Similis sententia legitur &c in lib. De Aëre, aqua, & locis, sed copiosior, his verbis: Valde senioribus destillationes propter raritatem, & venarum ἔκτηξιν, id est, tabefactionem, ita

B 4 quod

quod repente intereunt, quosdam autem contingit dextra aut sinistra parte stupentes reddi. Quibus verbis duo ex catarrho in senibus ostendit pericula, vel mortem subitaneam; vel alicuius partis cum stupore resolutionem.

De Mania, sive Insania.

C A P V T x.

MANIA insania quædam absque febre est: eius causæ plures reperiuntur: quandoque verò feruens sanguis cerebrum petens. Magnificus quidam vir x l. annos (plus minus) natus, sanguinem cùm circa præcordia commoueri sentiret, oculi caligabant: vertigo aderat: mox clamores, vociferationes, inquietudines accedebant; ita ut contineri debuerit. Detracto mox ex dextro brachio sanguine satis copioso, nondum tamen insania cessabat: carmina quædam recitabat, canebat, vociferabatur, saltabat, præcipitare sese conabatur; arctè contineri, ac vinculis stringi idcirco ipsum oportuit, donec ex codiis papaueris potionc vñs, in somnum incidisset: à quo cum meliusculè haberet, purgatus & adhibitis idoneis remediis ad sanitatem peruenit. Verùm hæc non diuturna fuit. post enim aliquot menses

ses iterum, ac deinde tertio in eundem affectum relapsus est, ac iisdem auxiliis restitutus. Tandem vero cum sanguis non amplius ad caput ferri videretur, insania quidem desit recurrere: sed sanguinis, cum tussi, sputum successit, deinde puris excretio. Ita qui prius Mania laborauerat, phthisi demum mortuus est.

S C H O L I O N.

Ex hemoptoë transitum fieri in phthisin satis constat; sed quomodo Mania in hemoptoën permittetur, non æquè manifestum. Videtur autem de huiuscmodi permutatione in Coacis prænotionibus Hippocrates simile aliquid scriptum reliquisse. *Qui ex Lethargicis, inquit, seruantur, plerumque pectore suppurati sunt.* Nam si Lethargus in suppurationem conuerti potest, cur non & eadem ratione Mania in pulmonis exulcerationem commutari? Per utrumque etenim affectum, cerebrum, & eadem quidem parte, laborat: sed causæ differentes. Est autem Lethargi, ut Archigenes apud Aëtium ait, duplex origo: *Quandoque præcordia & viscera primario affectu læsa sunt, & ad consensum cerebrum perducunt: quandoque vero in cerebro affectus inchoat.* Simile & de Mania dici potest: per hanc videlicet cerebrum subinde proprio & primario affectu laborare: aliás vero per *συναδείας* & per consensum alterius partis.

Maniam verò & per consensum fieri ostendit:
Apho. 40. sect. 5. *Quibus mulieribus ad mammae san-*
guis colligitur, furorem significat. Sanguine siquidem
circa mammillas collecto, furor succedens, per
consensum cerebrum affici testatur. Sic potuit &
magnifico viro sanguis circa præcordia collectus,
perturbata mente, furorem excitasse; per consen-
sum cerebri functionibus deprauatis. Sed cur san-
guis circa præcordia confluens, mentem cum fu-
rore perturbavit, succedente verò hemoptoë nihil
tale accidit? A' nne quia seruens loco conclusus, via
nulla patente qua posset erumpere, in septo trans-
uerso membranisq. vicinis cum tensione inflam-
mationi similem affectum induxit? postea verò
patefacta sibi per pulmonem via, liberumque ex-
itum nactus, membranis aut diaphragmate non
distentis, mentem non fuisse permotam? Nam se-
pti transuersi inflammations, mentis alienatio-
nes consequi testatur Gal. 4. De Locis affectis. At-
que hoc quidem modo Maniam in Hemoptoë
permutari posse apparet: Maniam videlicet ex
consensu natam. Nec tamen à ratione quoque
alienum, initio cerebrum primariò fuisse affectum,
& sanguinem feruentem caput petiisse: posteà ve-
rò eiusdem feruore remisso (quod diuturnitate fit
malii) ad caput non amplius ascendisse, sed circa
pulmones constitisse, cuius substantia vitiata, san-
guinis, deinde puris sputatio successerit. Cæterùni
Mania cum Melancholia affinitatem tales ha-
bet, ut non raro Mania in Melancholiā transeat:
& initia Melancholiæ frequenter Maniacum quid
habent. •

habeant. Mania autem quæ ex sanguine bilioso procedit, præcipuè sanguine redundante, minus vehemens est, & ferè cum risu coniuncta. Difficilior quæ à bile flava adusta: sed omnium grauissima ac difficillima, quæ à melancholico humore adusto originem dicit. Omnibus autem Maniacis cum insania mentis alienatio coniuncta est. Melancholici è contrà sape non insanire videntur, sed concepta tantum aliqua falsa opinione occupantur: nonnulli se mox morituros existimant: quidam se comprehendendi metuunt: aliis alia obuerstantur, quæ ex animo excutere & abiicere nequeunt, interim non raro omnia sua negocia adèò prudenter, & cum iudicio peragunt, ut nullo morbo detineri videantur.

De Nocturna insania.

C A P V T X I.

VIR quidam supra x x x. annos natus, interdiu bene habebat, mente & sensibus integris: si quando autem quieti se dedisset & dormiret, mox insanire incepit, clamitare subinde, brachia manusque huc illuc abiicere: surrexisset quandoque, saltasset, & per domum cucurisset, si assidentes permisissent, qui in lecto eum continuerebant. Vigil factus iterū sanæ mentis. Purgatus hic idoneis medicamentis fuit, sanguisq. detra-

detractus: verùm non prius hæc profuerunt,
quàm cauterio in ceruice posito , vlcus es-
set factum , quo aliquamdiu aperto , pro-
fluente inde humore, melius se habuit, &
sanitati restitutus.

S C H O L I O N .

E φιαλτίς , Incubus vel Incubo Latinis morbus
dicitur, dormientibus molestus: hoc correpti
ab aliquo sibi incumbente, aut re quapiam corpori
imposita opprimenti sese existimant, & suffocari ima-
ginantur. exclamare aut vociferari volentes, neque-
unt; vocem si edant, nihil significantē ut plurimum
proferunt: adeſt & difficilis motus. Cūm hoc au-
tem Insaniam nocturnam (quam descripsimus)
haud quaquam conuenire satis manifestum; cum
Lycanthropia similior videtur, quam Paulus Ægi-
neta describit, & similiter Auicenna sub nomine

Chatrab. Chatrab : Nec tamien cum hac omnino conuenit.
Ait quidem Paulus, noctu domo egredi, & circa
defunctorum monumenta versari, donec illuces-
cat. addit Auicenna, interdiu etiam latitare: ho-
minum consuetudinem fugere: uno loco haud
diu consistere: tristes & pallentes esse. At hic vir
omnia sua negotia dextre interdiu obibat, nulla
parte mentis laborans, nec solitudinem amabat,
sed cum amicis & domesticis perlubenter versa-
batur. Quamobrem nec Lycanthropia affectus
huius dici potuit; sicuti nec verè Incubus fuit. Cau-
sam mali huius humorem fuisse crassum crudum
que satis apparuit, cui bilis portio admista fuit.

De Hy-

De Hydrophobia.

CAPVT XII.

MISERRIMUM morbi genus, ut Cornel. Celsus ait, Hydrophobia est, qua æger & siti, & aquæ metu cruciatur. Non timet autem hydrophobus solam aquam sed quicquid liquidum ac humidum instar aquæ est. Subsequitur hoc malum rabiosi canis morsum, si non idoneis remedii s primo quoque tempore occursum fuerit. Nec statim tamen succedit aquæ metus, sed subinde post triginta aut plures dies. Vbi autem superuenerit, haud diuturnus est. Nam, ut Cælius Aurelianus rectè ait, ob nimium aquæ timorem, & humoris defectum, ægrotantes celeriter pereunt.

Iuuenis quidam annos natus (plus minus) XVII. commorsus fuerat à cane in digito sinistri manus, qui minimo proximus: ignorabatur canem esse rabiosum: vulnus quoque perquam exiguum, & tanto quidem negligentius curatum. Post trigesimum sextum diem, vulnere iam multo tempore solidato, incœpit iuuenis hic aquam metuere: ceruifiam & vinum, quod sui erat officij, promere recusauit: altero dic sinistrum humerum

merum doluit, à parte videlicet commor-
si digiti: potuit tamen brachium sursum,
deorsum, antrorsum, retrorsumque citra
dolorem moueri: tertio die manè insigniter
febricitare videbatur: pulsus valde concita-
ti: sudores copiosi: brachia assidue conuel-
lebantur; lingua interim nihil ostendit fe-
brile; nec vrinæ, quæ sanorum similes: co-
dem die mente minus constans, mani-
festius delirauit: è lectulo surrexit: vestes
induit: per vicos discurrit: in horto ace-
tosæ herbæ folia decerpit, & quædam
manducauit. Deinde amplius infaniens
contineri debuit. Nox subsecuta cum ma-
gno furore, in qua tandem cum clamore
defecit.

SCHOLION.

NON diuturnum esse affectum Hydropho-
biæ, & non statim à morsu, sed aliquot post
hebdomadas superuenire, Hieronymus Fracasto-
rius lib. 2. De Morbis contagiosis testatur: Vidi
ipse, inquit, puerum, qui post octo menses, ex quo
demorsus fuerat, contagionem ostendit, ex qua
mox periiit.

Simile scribit Conradus Gesnerus Epist. medi-
cinalium lib. 3. Lithotomus quidam, ait, apud
nos, ante sex aut septem septimanas, à cane rabido
morsus, cum aliquamdiu nihil male sensisset, su-
bito

bito timoris aquæ superuentu, intra biduum mi-
serimè perit.

Canem autem fuisse rabiosum à quo quis com-
morsus fuerit, docet Galenus cognoscere lib. De
Theriaca ad Pisonem. Si enim, ait, audiueris graci-
lem corpore & siccum: oculis rubentibus: cauda demissa,
spuma ex ore fluente; præterea lingua foras porrecta, &
tanquam bile colorata; in obuium quemque insiliisse, ci-
traque rationem cucurrisse; deinde rursus subito consi-
stentem, cum ira quadam furenti, non ipsi præuisos mo-
mordisse. Hæc inquam si in eo sic se habere audiueris,
statim rabiosum fuisse canem intelliges: Hæc Galenus.

De Ranunculo.

C A P V T x i i i .

RANUNCULVS, quem Græci Καρκαχον
vocant, in inferiore oris parte, quæ sub
lingua est, nascitur; cuique ipsa lingua velu-
ti vinculo alligatur: attollitur instar tumo-
ris hæc pars, colore haudquaquam mutato,
mollis, laxus, ac indolens; & tantus apparet
tumor, vt inferiores dentes superet: rima
autem media, dextram à sinista dirimente,
ranæ posteriorem partem refert; vnde affe-
ctui nomen. Præcedit sæpenumerò maxil-
læ inferioris dentium dolor. continetur ve-
rò in hoc crassus, lentus, oui albido colore
& substantia assimilis humor. De curatione
huius

huius exstant apud nonnullos quædam ex Albucasi translata. Errorem horum facile agnoscat, qui curationem quandoque videbit, ipse fecerit, aut hæc nostra legerit. Legitima curatio est scalpello vtrimeque tumorem aperire: deinde ubi quantum potuerit humoris effluxerit, posca (exiguo sale addito) os paucis diebus colluere, donec nihil amplius humoris in tumore reliquum sit. Potest tamen & alia ratione humor in hoc tumore contentus educi; vulnera enim sub mento facta, mox effluit: sed tutissimum est intra os tumorem aperire. Si quid verò impedit, quò minus in ore commodè fieri queat, tunc, ut sub mento fiat, proximum est: vcluti cui vnà cum Ranunculo vtriusque tonsillæ inflammatio superuenit. Hic vulnera, quo diximus loco, facta, adhibitis deinde tonsillarum remediis, ab utroque liber evasit.

S C H O L I O N.

PAUCI ex posterioris ætatis Medicis, qui De Medendis morbis scripsérunt, Ranunculi curationem attigerunt: qui verò eius meminerunt, magna ex parte ex Albucasi, aut Rhasi sua mutuati sunt. Michaël Sauonarolus ex Rhasi similiter curationem in suo opere asscripsit: sed tamen eam, quæ fit per

fit per sacrificeationem, magis commendat, quæ via est, inquit, expedita, & ad hanc ego quām cītius possum peruenio, cūm non videam periculum. Hæc ille. Hanc curationem ostendit quoque & Ioannes Fernelius De Partium morbis lib. 5. vbi Ranunculum tumorem esse, ait, cœdematis mollis ac laxi speciem exhibentem, quo aperto muccus profluit oui candido similis.

De sanguinis è gingiuis profluvio.

CAPVT X I I I I.

FREQUENS est, dum natura ectimatum expulsionem molitur, vt eodem tempore, vel paulò antè, sanguis è naribus, & subinde copiosus profluat. Verùm latimo cuidam ectimatis laboranti, non per narēs, sed è gingiuis sanguis erupit. quòd cum in primis molestum esset, ore assiduè sanguine repleto, remedium adhibet, & sanguinem illàc manantem reprimit. Repressus autem sanguis, aliam sibi viam quæsiuit: Nam ad vrinarios incatus conuersus, vnā cum vrina descédit. atque sic è gingiuis non amplius sanguine erumpente, vrina cruenta subsequuta est. quæ cūm & reprimētibus, sanguinisque fluorem sistentibus medicamentis exhibitis talis esse desiisset: ite-

C rum

rum natura sanguinem ad gingiuas pepulit.
Ex his autem nec prius desit prodire, quām
ab eētimatis curatus æger esset.

S C H O L I O N.

CONSIDERANDA hic occurrit naturæ singularis prudentia ac prouidentia: deinde & cognoscendum conatum eius non esse reprimendum, quando criticè sanguinem, vel aliud aliquod expellit: vel aliâs grauata sese exonerat. Veluti cum eētimata erumpunt, quæ non alio tempore, quām cùm sanguine reptobō grauata est, excludere velle natura videtur.

De lachrymis sanguineis.

C A P V T x v.

PROVIDE ac sese exonerantis naturæ exemplum, in virgine quadam & aliud me obseruare memini. Carnosa hæc erat calidoque temperamento prædita, sanguineque redundans. Cùm autem ætas adesset ad menstruas purgationes idonea, vt potè xvi. annorum, neque menses succederent, natura per oculos superfluentem sanguinem expellere conata fuit: sanguineis guttis lachrymarum instar frequenter ex oculis profluētibus: benè fecit huic sanguinis è venâ talo proxima detractio, quam menstrua purga-

purgatio non ita dudum subsequuta est.

S C H O L I O N .

MENSIBVS non procedentibus corpora feminarum morbosa fiunt, inquit Hippocrates lib. De Genitura: quod quidem intelligendum venit, nisi aliunde sanguis erumpat. Nam ut idem Hippocrates Aphor. 33. sect. 5. Menstruis deficientibus sanguis ex naribus fluens, bonum. Huic autem virgini non ex naribus, sed ex vicinis oculis profluxit.

De Abscessibus tonsillarum foras erumpentibus.

C A P V T X V I .

PO STE A Q V A M de naturæ prouidentia scripsimus, & aliud exemplum addendum, omnino rarissimum.

Laborabat inflammatione vtriusque tonsilla filiola quædam duorum annorum, qua idonea remedia propter ætatem non admittente, natura viam sibi ad salutem querens, morbum ad exteriora conuertit. Nati sunt itaque vtrumque in collo infra aures singuli tumores; quibus scalpello apertis, pus effluxit: Itaque ab abscessu tonsillarum liberata, sanitati restituta est.

C 2 SCHO-

SCHOLION.

FACIT huc Aphoris. 37. sect. 6. Ab angina
habito, si tumor fiat in collo, bonum. Tonsilla-
rum liquidem inflammatio anginæ quædam et-
iam est species.

*De inflammatione œsophagi ab im-
pacto piscis osse.*

CAPVT XVII.

ŒSOPHAGVM, hoc est, meatum il-
lum, quæ cibus & potus in ventricu-
lum descendunt, multis affici modis posse
haud dubium est, sed hoc loco de co tan-
tummodo affectu sermonem instituimus,
qui ab inhærente ossiculo subinde gignitur.
Contingit enim quandoque acutum piscis
ossiculum, cum cibo imprudenter assu-
ptum huic impingi, ipsumque deinde pun-
gere ac vellicare, vnde dolore excitato in-
flammatio succedit: qua superueniente, nec
cibus, nec potus ad ventriculum descende-
re queunt: potu etiam per nares resiliens.
Sunt qui in eiusmodi casu assidue oleum
oliuarum in ore detinendū præcipiant: quod
vbi aspera aliqua œsophago inhærent, haud
inutiliter adhibetur. Nec solum oleum, sed

&

& quicquid lentore suo oblinire, & laueim
lubricumq. hunc meatum efficere potest,
utile ac commodum. Qualia sunt pinguis
ac lentorem habentia iura, lenti succi ali-
menta, ut animalium pedes & musculosæ
partes: ceruisciæ crassæ: & quicquid mucca-
ginem refert. Hæc etenim non modò aspe-
ro aliquo œsophago inhærente, sed & alio
quouis assumpto, quod vel ventriculo vel
intestinis ad exitum descendens molestum
esse posset, summo cum fructu ac oportu-
nissimè assumuntur. Oblinunt enim mea-
tus: quibus laeuis ac lubricis factis, facilius
ac minore negotio cum aspera, tum alia
quæcunq. descendunt & excernuntur. Vbi
autem ossiculum impactum aut simile, iam
inflammationem in œsophago excitauit,
præstantiora sunt, quæ quam citissimè in-
flammationis suppurationem procurent.
Hac siquidem ad suppurationem perducta,
abscessu deinde disrupto, à dolore ac angu-
stia æger citò liberatur: vt non in uno, sed in
pluribus compertum habemus. Citò verò
inflammationem suppurrari facit, radicum
althææ, ficuum, seminis fœnogræci ac lini
decoctum, frequenter in ore detentum:
eui non raro vnà quoque incoquuntur &

C 3 althææ

althææ & scabiosæ folia, glycyrrhiza, & vux passæ. Quod si verò & nuclei aliquot pauci addantur radicum liliorum alborum, potentius erit decoctum: & abscessus citius rumpetur.

S C H O L I O N.

INFLAMMATIO præsertim circa fauces & oris partes, adstringentia ac reprimientia initio requirit. Quæ autem in œsophago ab impacto ossiculo sive piscis, sive alterius alicuius, vel etiam à spina aliqua talia non admittit, sed citissime ad suppurationem duci postulat. Ab adstringentibus non nisi doloris intensio expectari debet. Nam cum hæc ossiculum impactum aut spinam excutere nequeant, ad strictione dolorem intendunt. Nec proficiunt lubricantia nisi quod dolorem non augeant & suppurationem fieri etiam non admodum impedian. Nam & hæc frequenter, & sua sponte suppuratur, sed citius, si eò facientibus adiuvetur.

De Latente ac diffcili Angina.

C A P V T x v i i i .

NVLLA inter Anginæ species æquè periculosa est, ac ea, in qua nullus tumor in faucibus ac collo apparet: quam Latentem hac de causa non ineptè dixerimus. Talis autem quandoque, hominem paucis diebus

diebus conficit, ac è vita tollit: mente & sensibus integris. Quod & Hippocrates Prædictionum lib. 3. cap. 8. scriptum reliquit. Angina, inquit, grauissima est & celerimè interimit, quæ neque in ceruice (id est, collo, interprete Galeno) neque in fauibus, conspicuum quid efficit. Hæc etenim eodem dic, & secundo, & tertio, & quarto strangulat. Plurimum verò hanc quoque dolorem inferre: & spirandi (addit) difficultatem. Adsunt verò non modò hæc, sed & vehemens copiosaque humorum è capite destillatio, dolor autem circa laryngem & asperam arteriam talis, ut nec contingi, quantumcunque leniter, citra grauissimum dolorem queant: sed nec moueri, sursumq. attolli. Quamobrem non spiritus tantum cum difficultate trahitur; sed & cibus ac potus egerrimè, aut non demittuntur. Cùm etenim per œsophagum descendunt, cedit, & sursum ascendit larynx. Inflammari per huiusmodi anginam, interiores ac latentes laryngis musculi existimantur. Verùm nos nullam iuxta laryngem aut eius musculos, vel circa asperam arteriam, inflammacionem aut abscessum cognouimus, sed pulmonem male affectum obseruauimus. La-

C 4 nio qui-

nio quidam meridie circa laryngem & fauces dolorem sensit, & quandam in deglutiendo cibo ac potu difficultatem. Adiit sub vesperam pharmacopæum. Datur ex aquis plantaginis, lactucæ, & diamoron, addito aceto, gargarismus. quo cum subinde viceretur, doloribus intensis, subito nocte mente constans, strangulatus interiit.

Huius corpore aperto reperta est pulmonis substantia, siue *παρεγχυμα*, in pus conuersa, & ad vnum eius latus abscessus pure quoque impletus. Nulla tussis huic anteā fuerat molesta: neque sanguinis vlla sputatio præcesserat; sano validoq. corpore eousque visus, eoque non gracili, sed obeso.

Eadem & superioribus similia æstate anni 1565. diligenter annotauimus: quando multi angina, ac simul molesta ex capite destillatione correpti fuere: præsertim ex his, qui præcedente hyeme, vel tussi, vel raucedine laborassent, aut à peripneumonia euasissent. Plurimiis horum, posteaquam circa laryngem dolor remissior tandem defiisset, peripneumonia successit cum lateris dolore, non tamen pungente, aderant respirandi difficultas, & pulsus mollis. Horum non pauci intrà non multos dies mortui: senio-

seniores evaserunt, & natura frigidiores.

Pulmones horum vel purulenti fuere, vel abscessum habuere: iuxta verò laryngem, aut cius musculos nihil occurrit, quod vel addeesse vel adfuisse inflammationem ostenderet. Satis quidem apparuit, pulmones male quidē prius affectos, superueniente ac accedente è capite destillatione, reliqua symptomata successisse: laryngem verò non primariò, sed per *συναθείαν*, siue consensum laborasse. Verisimile verò & est, destillante humore asperam arteriam, eiusque ramos impleri atque distendi: deinde eodem ad alia vasa transmisso, à dolore liberari quidem asperam arteriam, ac eius supremum finem ipsam laryngem: pulmonis autem male affectas partes à dolore occupari: atque hoc modo ex angina in peri-pneumoniam permutationem fieri. Subducunt huic morbo mox, si vires ferant, venæ sectio, ita enim citissimè impetus defluentes humoris & auertitur & compescitur: deinde quæ lenire asperam arteriam & pulmonem queunt, ac sputi facilem exitum procurare: cuiusmodi sunt dulcia, ut glycyrrhiza, eiusque decoctum, vvae passæ, vinum passum, aqua mulsa, vinum mulsum,

C 5 dilu-

dilutum, si febris absit; & alia cius generis,
quæ à Cælio Aureliano commendantur.
Adstringentium ac repercutientium in hoc
morbo usus, inutilis: aceti verò etiam per-
niciosus.

SCHOLION.

ANGINAM appellat Hippocrates, Galeno teste, affectum circa fauces, qui spirationem quoquo modo reddit deteriorem. Huius genera quattuor lib. De Locis affectis 4. cap. 5. enumerantur: alij deinde & affectus referuntur, per quos cibi potusq. via impeditur, & cum difficultate cibum laborantes deglutiunt: potus verò etiam per nares resilit. His anumerari œsophagi, ab inhérente ossiculo, inflammatio potest; de qua præcedente capite scripsimus. Per hos autem affectus, spirandi quoq. difficultas quædam obicitur, sed citra πνιξ, id est, suffocationis periculum. Est autem πνιξ siue suffocatio (nonnullis strangulatio) non alitid nisi interitus subitaneus propter defectum inspirationis, (vt Gal. in Comment. Aph. 34. lib. 3.) qui fit ex angustia alicuius instrumenti, ex iis, quæ obseruiunt respirationi: Angustia verò fit, vel repleta media regione, que inter thoracem est atque pulmonem, aut pulmonum meatibus: vel aliqua inflammatione totum occupante viscus; vel asperam arteriam; vel etiam partem, quæ veluti caput eius est. Quæ etiam inflammatio aliquando fieri solet in præiacente spacio, quod fauces appellant.

Atque

Atque una harum causarum, eius, de qua scripsimus, Anginæ occasio fuit. Pulmonis videlicet χάρων, siue meatuum, atque ipsius asperæ arteriæ ex affatim defluente humore repletio. Quæ quomodo, ac qua via in Peripneumoniam conuertatur, ostendimus. Est autem hæc inter Anginas, per quas nullus in faucibus tumor apparet, & quæ subitaneum periculū adferunt, frequentior. Quæ verò asperæ arteriæ, vel musculorum, qui gulam cum gutture iungunt, inflammationem consequitur, omnino ratiissima. Contingere huiuscmodi aliquando posse videtur: extante præsertim exemplo apud Antonium Beniuenum cap. 34. Pus etenim loco circa collum altioribus plagis inciso erumpens, inflammationem præcessisse vicinorum musculorum manifestum fecit. Potuit tamen hæc non vera Angina, sed Parasyنانche tantummodo fuisse, quæ est musculorum colli inflamatio, cibi potusque transitum & respirationem aliquo etiam impediens modo.

De Respirandi difficultate cum suffocationis periculo.

CAPUT XIX.

ACRE erat gelu, Ianuarius mensis, notwithstanding initium tempus, cum nobilis vir assidens foco, Bacchoque indulgens, vesicæ onere premeretur. qui foras progressus, inspirato aere frigido, moxque reuersus, adeò vehe-

vehemēti respirandi difficultate correptus; ut suffocatus proptermodum fuerit, & nisi inox præstò adfuisse, periisset. Hominem repperi pedibus suis vix insidente: frontem tensam: sudores frigidos: aluus præ angustia excrementa deposuerat: pulsus tamen exiguis, ut pænè nullus. Assumpto pulueris croci scriptulo uno cum vini Cretici (vulgò Maluatici) duobus cochlearibus, subito restitutus, liberè respirauit, ab omni suffocatione liber. & potuisset in sanitate permanisse, nisi pulmo male affectus fuisset: sed cum asperæ arteriæ ramuli subinde obstruerentur, quandoq. etiam respirandi difficultas recurreret; minus tamen quam primo tempore vehemens, sed diuturnior, ut quandoque duabus, tribus, vel etiam pluribus horis perseueraret. Crocus qui initio multum ac citio profuerat, postea exiguum, deinde nihil amplius contulit. Tentata sunt & alia plura remedia, sed frustra. Nam reuoluto mense defunctus est. In huius pulmonis inferiore sede ac basi, qua septo transuerso incubit, reperti sunt abscessus duo; unus indextra, alter in sinistra parte. per meatus pulmonis purulentus ferebatur humor, qui inciso pulmone ex ipsis profluebat.

S C H O-

S C H O L I O N.

HIVISCEMO DI respirandi difficultatem, obstructio meatuum pulmonis & aspera arteriæ, quoque peperit, quam frigidissimus aëris inspiratus etiam auxit; meatus arctans atque constringens: ac idcirco prima inuasione respirandi difficultas maior, quam succendentibus diebus, cum aëris frigiditas non accederet. Facilior autem huic inspiratio fuit quam expiratio. Dum enim spiritus attrahitur, pulmo explicatur, & bronchia liberrora fiunt: per expirationem verò pulmo contractur, & meatus arctiores angustioresq. redduntur.

De Orthopnœa.

C A P V T x x .

ORTHOPNOEA, de qua scribimus, exacerbationes siue accessiones quasdam habuit, quæ subinde singulis mensibus, quandoque rarius, & bis aut ter in anno, inuadebant: & per humidam frequenter, quam per siccum aëris constitutionem. Qui laborabat, x x x v i. (plus minus) ætatis annum agebat, cum hac corriperetur.

In ipsis accessionibus admodum difficilis fuit respiratio: stabat toto tempore mensæ aut tabulæ alicui manibus innitens: effrebat ac profluebat ex ore humor lentus, visci-

viscidusque: cibum vix, potum ægrè admittere potuit: sæpè toto accessionis tempore stans absque cibo & potu complures horas transfigebat. Posteaquam autem accessione conquicuisset; liberè quidem respirare potuit, & quocunque libuit abire: quatuor aut quinque miliaria quandoque vno die pedes perfecit, sed decumbere non valuit. Quotiescunq. enim iacere conabatur, mox omnia circa respirationē molestā. Noctu sedendum erat in sedili aliquo, nec aliter somnum capere aut conquiescere integrum erat. Agarico purgatus, visus est melius habere, sed ad exiguum tempus. Profuit etiam subinde Diacyminon & Diaspolitico: verūm nec ab iis, nisi paucō tempore, præsidium sensit. Vbi autem consenuisset, sponte & absq. ullis remediis à molesta Orthopnœa liberatus hic est. Cessantibus multo tempore exacerbationibus, tandem periculum iacendi fecit: quod cum citra incommodum succederet, reliquo sedili, in lecto per noctem decubuit.

Simili Orthopnœa & mercator quidam correptus etiamnum iuuenis fuit. Nullum hic remedij genus intentatum reliquit: sanguinis detractionem sæpe admisit: frequenter purgatus: aquam fontis in agro Leodien-

si bi-

si bibit, sed nullo succedente fructu. Tandem calculi in renibus doloribus, ac podagra correptus, ab orthopnœa liber factus, decumbere potuit, qui anteà quoque aliquot non paucis annis in sedili somnum capere debuerat.

S C H O L I O N.

NE Q V E alia huius Orthopnœæ causa subesse videtur, quām tenax viscidusque pituitofus humor, asperæ arteriæ raimulos obstruens, ac meatus intercludens: quo superabundante, morbi accessio contigit, quæ tantisper durauit, donec portio eius per os expurgata esset. Sed cur intermissionis tempore iacere, aut in lecto decumbere non fuit integrum? An quia non omnis humor excretus, & decumbendo minus liberi sunt pulmonis meatus, atque coarctari sic contingat, & idcirco quoque à lento humore facilius obstrui? Decubentibus etenim pulmo, vt Galenus quarto De Locis affectis, in se concidit: erecto verò thorace non amplius seipsum grauat. Tunc enim omnes asperæ arteriæ propagines dilatari contingit, & interiorem pectoris regionem augeri: vt in Commentariis Prorrheticon idem scribit.

De Peripneumonia populariter sœuiente.

C A P V T X X I.

PERIPNEUMONIAM nostra ætate bis populariter grassatam in memoria mul-
torum

torum est: semel anno 1557. Octobri: deinde iterum anno 1565. Ianuario mensē.

Præcesserat anno quinquagesimo septimo supra millesimum quingentesimū constitutio aëris ab initio Iulij mensis sicca, & mediocriter pro temporis ratione calida; præsertim Julio ac Augusto. Sub finem Septembris, tertio ac quarto Calendas Octobris, superuenit validissimus à Septentrione ventus, admodum frigidus. mox destillationes plurimæ sunt natæ: vnde citò validæ vehementesque tuffes, & lateris cum febri, & respirandi difficultate dolores processerunt. Lateris dolores non vehementes, non punctorij erant, sed clementes admodum: tertio die vel prius sputum prodiit cruentum: quinto, aut sexto, aut septimo, ad summum octauo mortui omnes sunt latere dolentes; quibus sectio venæ prætermissa, aut tempestiuè non facta. at quibus sanguis vel primo vel altero die detractus, euaserunt; quarto aut quinto die sanitati restituti. Quarto verò aut quinto sanguinem detraxisse nihil profuit, morbo iam confirmato. Humores destillantes tenues admodum, & non nihil acres fuerunt. Eclegmata idcircò utilissima, que inspissandi vim habent, acrimoniam

moniam retundunt, & aspera leniunt: quale est ex Ziziphis (Iuiubas vulgò vocant) serapium: Quod tenues destillationes insipiat, acrimoniam obtundit, aspera obliniendo lenit. Altera Peripneumonia dissimilem occasionem habuit. Decembri mense anno 1564. gelu admodum acre extitit, per quod nō modò omnia reliqua flumina vbi- que, sed & ipse Scaldis in portu Antuerpiæ (quod admodum raro contingit) adstrictus fuit. decidit per id temporis nix admodum crebra. Post Calend. Ianuarij anni 1565. frigoris remissio sex aut septem dierum succedit; sed exigua admodum, sic ut neque nix, neque glacies dissoluerentur. Per hos dies vapores multi cleuabantur, qui cum interdiu dissolui ac discuti non potuerunt, nec altius ascendere, nocturnis frigoribus densati, inferiorem, & quem haurimus aërem, inficientes, crassum humidumq. eum admodum reddiderunt.

Ab huius autem tam crassi aëris, & vaporibus infecti inspiratione, morbi circa pulmones, atque in ipsis etiam pulmonibus, exitiales nati sunt: quibus infinita hominum multitudo mox correpta fuit. Nulli autem citius aut grauius affecti, quam qui

D hora

hora vna aut altera post Solis occasum aëri
seſe exposuerunt. Nam interdiu, & præſer-
tim ipſa meridiſ, aut paulò pōſt, aēr minus
crassus exſtitit, nec ita citō aliquem offendit.
Multis profuit focus elegans ex quernis
lignis, qui hos in ſanitate continuuit; aēre in
cubilibus ac cœnaculis reficcato ac puriorē
reddito. Morbi per hos dies erant tuffes,
rauecdines, respirandi difficultates, & pluri-
mi vnā laterum clementes, non punctorij,
cum febri dolores, hoc eſt, peripneumoniæ.

Fuit autem hæc Peripneumonia non mi-
nus quam superior exitialis: neceſſum quo-
que erat in hac mox primo aut altero die
ſanguinem detrahere. quando ceſſatum eſt,
nulla ſalutis ac vitæ ſpes reliqua erat. Spu-
tum in hac proceſſit crassum, ſanguini per-
mixtum: non nullis bilioum, quorum nemo
feruatus. Eclegmata deſiderabantur, quæ
pulmonis meatus expurgarēt, & ab infarctu
liberarent: non tamen valdē calida, vt ſera-
pium ex capillis Veneris, ſiue Ruta muraria,
ac quod ex dulci radice paratur. Ex hyſſopo
quoque quandoque profuit. Utroq. autem
tempore morbum hunc non Pleuritidem,
ſed Peripneumoniam fuiffe, mortuorum
corporum diſectiones coram oſtenderunt.

S C H O -

S C H O L I O N .

I S T I S exemplis fit manifestum non semper pulmonis inflammationem, citra lateris dolorem accedere. Nam licet parenchyma eius sensu sit destitutum, ut satis in phthisi appareat; non tamen membrana, quæ ipsum ambit, sensus & doloris, si distendatur, est experts. Quando enim inflammatio ad vnam aliquam exteriorem pulmonis partem consistit, dolor in latere, distenta membrana, sentitur. Vbi verò interius acceditur, gravitatis sensus quidā circa sternum & dorsi spinam tantummodo percipitur: nisi simul & pelliculam sive membranam qua dorso sternoque adhæret, simul inflammari contingat, tunc enim & dolor circa sternum etiam adest: Aëtio teste.

De Lateris dolore, qui phthisicis superuenit.

C A P V T X X I I .

P H T H I S I C O S diuturnitate mali et iam extenuatos, lateris dolore quandoque coripi accidit: qui subinde valdè molestus, & respirandi libertatem impedit; febrilem tamen non multum intendit calorem. His pulmo membranæ costas subcincti ita firmiter agglutinatus adhæret, vt sæpenumerò non absque violentia auelli

D 2 queat.

queat. Concepto aliquo spiritu frigido, dolor superuenit. Tollitur ac curatur calorificis, ut fomento ex floribus chamæmeli & cumino, quod multis benè fecit: sacculo hæc insuere oportet, qui deinde vino candido rigatus, calens dolenti loco imponitur. Venam secare qui temerè audet, quantum sanguinis demunt, tantum vitæ detrahunt.

S C H O L I O N.

Non modò autem istis sanguis perperam detrahitur; verùm & aliis, ex crassis viscidisque humoribus, latere dolentibus: Ingerunt enim quandoque sese crassi viscidique pituitosi humores in thoracis spaciū, tum & in ipsos pulmones, qui multitudine sua subcingentem membranam distendentes, dolorem adferunt; & vias spirituum intercipientes, spirandi difficultatem inducunt. Nam & his sanguinem, præsertim copiosum, detrahere, est mortis causam ægris præbere: vt Aëtius scribit Tetrab. 2. lib. 4. cap. vltimo.

De Calculo pulmonis.

C A P V T X X I I I .

GE N E R O S V S ac Illustris quidam Baro calculum sape cum sputo excreuit, qui in extremis asperæ arteriæ ramulis ac propaginibus natus, loci figuram referebat: forma oblongus, teres, tenuisque: subinde adnatis

adnatis breuibus ramulis, colore candidus.
Aderat tussis satis vehemens, absque qua ex-
cerni non potuit, & sputum crudum. Vsus
multis annis feliciter serapio ex Adianto,
quo & tussis minus molesta reddebatur, &
calculus facilius ad exitum mouebatur.
Tandem tussi vehementissima superue-
niente, vase magno pulmonis rupto, sanguine
neque copiosissime profuso, extinctus est.

Serapium ex Adianto hunc in modum
paratum fuit,

Bz Adianti legitimi,
Capill. Veneris vulg. hoc est,
Rutæ murariæ, vtriusque ses-
quiunciam,
Glycyrrhizæ vncias duas,
Radicum Rusci,
Asparagi, vtriusque vnciam,
Seminis maluæ drachmas duas,
Aquæ puræ libras quattuor.

Fiat omnium decoctio usque dum aquæ
libræ duæ tantum supersint.

Colato addantur Sacchari vnciæ
duodecim,
mellis candidissimi vnciæ tres,
aquæ ex hyssopo destillatæ vnciæ
quattuor.

D ; Iterum

Iterum coquantur simul, dum ad serapij
consistentiam perueniant.

S C H O L I O N.

GALENVS quarto De Locis affectis, cap. ix.
multas refert causas rupturæ alicuius in pul-
mone vasis, quibus annumerari potest, in bron-
chiis pulmonis natus ac firmius inhærens calcu-
lus, qui cùm ægrè ac difficulter reiici potuerit; &
non nisi cum valida ac vehementi tussi; rupturæ
alicuius magnæ venæ & subitanæ mortis causa
fuit. Ruptum autem aliquod magnum fuisse vas,
copiosissima sanguinis profusio, haud obscurum
præbuit indicium.

*De sanguine spumoso cum tuſi reiecto,
& pulmonis sphacelo.*

C A P V T X X I I I .

Cum tuſi sanguinem excerni, modò
pulchrè rubentem, aliàs pituitæ, sputo
aut puri permixtum haud infrequens est:
Nigrum verò atq. adçò spumosum eiici, ut
concretus & vndequaq. porosus spongiam
aut pumicem referre videatur, rarissimum.

Huiuscemodi autem à nonnullis cum tuſi
reiectum, non ex vase aliquo rupto, aut ex
pulmonis vlcere, sed ab ipsa pulmonis sub-
stantia, ac parenchymate profusum suspica-
ti fui-

ti fuimus: nec fefellit nos coniectura. Nam pictoris cuiusdam, qui cum valida tussi huiscemodi sanguinem reiecerat, pulmonis pars quedam nigricans reperta, & sphacelo correpta; in qua magnus & profundus sinus: nulla interim sanie, nullo pure, vel hanc, vel reliquam partem occupante. Atque ex hoc sinu sanguis corruptus, nigricans, atque cum eo siderata parenchymatis pars cum tussi reiecta.

Similem & Ichthyopola quidam sanguinem expuit, cuius & pulmo eodem affectus modo fuit.

Ceruisiae coctor huiuscemodi sanguinem cum valida tussi ter reddidit: in huius autem pulmone plurima parte nigro, tres patuerunt sinus. Semper autem talem affectum incurabilem iudicauimus. vitam tamen produci ad aliquod tempus posse, bona beneq. instituta vita ratione, haud alienum est. Pictor plus quam mensem superuixit: Ceruisiae coctor bis euaserat, sed in tertia expuitione subito perii: veluti & Ichthyopola, qui & in sanguinis sputo defecit.

S C H O L I O N.

D E huiuscemodi sanguinis sputo sensisse videtur Hippocrates Aphor. xiii. lib. v. Qui-
D 4 cunque

cunque, ait, spumosum sanguinem expuunt, iis è pulmone eductio fit. Nam qui ex vase disrupto, aut vlcere profunditur, haud quaquam spumosus appetet. Fatetur ipse Galenus in Commentariis, sèpius se vidisse sanguinem plurimum benè coloratum expui, quem ratio, ait, dictat ex aliquo pulmonis vase prodire. Sed hunc spumosum fuisse non addit. Spumosus sanguis, vel, ut Hippocrates, ἀφεύδεις αἷμα, naturam ac figuram eius retinet, vnde abscessit. Pulmonis substantia laxa, rara, & porosa est, talis & sanguis, quem cum tussi profum scripsimus; cui parenchymatis partem coniunctam & cominixtam fuisse satis appetet.

De Vlcere ventriculi.

CAPUT xxv.

EXVL CERARI ventriculum non minus quam alias corporis partes, à ratione haud alienum est.

Honesta quædam matrona, annos (plus minus) Lx. nata, ex ore spiritum fœtenter multis emiserat annis: è naribus graueolens quoque muccus concretus subinde extrahebatur, virens aut omnino varij coloris: dolor circa ventriculi regionem assiduus, non tamen valde molestus; vt, quem lenire poterat sacculus, in quo herbæ, semina, & aromata quædam, ventriculo commoda,

vna

vnà cum gossipio consuta erant. Mens & sensus ad extremum constiterunt: longo morbo confecta è vita discessit.

Ventriculus huius exterius ab omni parte superficietenus exulceratus existit, & quæ ipsum contingebant vniuersa, non tamcn alia, quām qua ventriculo contigua erant parte. Cerebri substantia integra, sed copioso admodum humoris veluti innatans: qui fomes esse potuit mucci, qui s̄xpe in naribus concreuerat.

SCHOLION.

GRÄVEOLENTIA ex ore variis de caussis effertur: quandoque in ore, faucibus, aut iuxta nares, vel in ipsis, vitium consistit: tubinde in pulmone latet: quandoque verò ex ventriculo odor procedit. Tradunt recentiores scriptores vitio ventriculi graueolentiam fieri; maiorem esse corpore ieiuno, minorem verò ab assumpto cibo. Verùm huius matronæ ex ore fætor semper similis fuit: neque vñquam siue post cibum, siue ante cibum remissior. Ulcera tamen ventriculi, causam fuisse graueolentiæ; satis apparuit.

De Vomitu sanguinis.

CAPUT XXVI.

GALENVS lib. 5. cap. 5. De Locis affectis, sanguinem è iocinore aut liene
D 5 quan-

quandoque per ventriculum vomitione reiici testatur. Contingit autem non modo iocinore aut liene male affectis, sed & mensibus suppressis s̄apenumérò hoc modo expurgari. A quocunque autem viscere, siue à qua parte in ventriculum influat, semper cum molestia, violentia, magna vi- rium prostratione, ac *λεπτοθυμία* euacuatur: sic ut nulla sanguinis detrahendi (quod nonnulli præcipiunt) occasio relinquatur. Diueriones, veluti brachiorum ac crurum frictiones, adhiberi possunt: sed vnicè labo randum, vt vires conseruentur, & lapsæ re parentur. nam frequenter in ipsa vomitione, & citissimè quidem, æger deficit, præser tim si ex iocinore efferatur: veluti cuidam accidit, qui postquam longo tempore ex iocinore male habuisset, sanguinis violenta superueniente vomitione, mox sublatus est.

Quibus verò ex liene sanguis funditur, rarò in prima vomitione deficiunt; sed vel recurrente, ac subinde s̄epius, vomitione; velex Ascite pereunt. quę huiuscemodi san guinis vacuationem, præsertim frequentius superuenientem, subsequitur. Ab hac au tem neminem seruatum nouimus. Mulier quidem quædam quæ post frequentes vo mitio-

mitiones, in Ascitem inciderat, sanitati restituta videbatur, & ab aquoso humore liberata; sed superueniente paulò pòst denuò sanguinis vomitione, extincta est. Viro quoque cuidam, qui à frequenti vomitu sanguinis, Asciticus factus fuerat, per prominentem vmbilicum laneo filo siue licio transmisso, aquosus humor sensim effluxerat, sed nihilominus non multò pòst mortuus est. Huius lien sanguini còncreto similis, substantiæ soliditatem haud retinens, facile in partes soluebatur. Quandoque siquidem cùm venter amplius distendi nequit, vmbilicus foras irrumpit, & in tumorem attollitur, aquoso distentus ac repletus humor: quod Græci ὑδρόμφαλον appellant. Et tunc quidem per hunc laneo filo transmisso, vel etiam codem, scalpello aperto, humor effluit; nullo subsequente fructu alio, quàm quòd æger à distentione ventris pauco tempore liberetur. Prius enim quàm vmbilicus erumpat, iam interna viscera corrupta ac putrida sunt: proinde sanitas nec expectari, nec sperari potest. Nam vt Hippo. Prorrheticon lib. 2. Eum, qui ab hydrope, siue aqua inter cutim correptus est, & superstes esse volet, bonis visceribus præditum esse oportet.

3. tet. Mulieres autem & virgines, quibus suppressi menses, minus à sanguinis vomitione periclitantur; neq. enim viscera harum corrupta sunt: & superueniens menstrua purgatio ab omni periculo eas vindicat.

S C H O L I O N.

SANGVINEM vomitione ex tribus interioris corporis locis reiectum scripsiinus: ex iocinore videlicet, liene, ac ex vtero: Perquam raro autem ex iocinore profundi contingit. Cui autem ex hoc profusus fuit, vini potatione delectabatur; citò tamē & inde offendebatur. Crebro, post largiorē vini potationem, calorem per vniuersum corpus sentiebat veluti febrilem: aderat sitis, linguæ ariditas, vrinæ rubedo, & subinde in dextro hypochondrio quidam dolor. Super calfactus, mox remediis quibusdam sibi familiaribus vtebatur, ut Zulapio ex aquis Cichorij, Intybi, Acetosæ, cum Serapio ex Cichorio, ex Intybo. quo cùm saepè restitutus sibi videretur, tandem post languorem quendam, corporisque depravatum, & ad citrinum luteum inclinantem colorem, sanguinis vomitione copiosa correptus, defecit. Ex liene sanguinem vomitione reiicientes multos cognouimus: pallentes hi fuere, & saepenumero in sinistro horum hypochondrio tumidus splen manifeste sentiebatur, sed ante vomitionem. Nam à vomitione, exonerato iam splene, subsederat tumor, nec deprehendi poterat. Plerique horum tertia, aut

quarta

quarta vomitione, vel etiam frequentiore (multis inter singulas mensibus ut plurimum intermediis) perierunt: alij post crebras vomitiones in Ascitem lapsi, tandem & mortui sunt. Vnum aut alterum nostro consilio post unicam vomitionem seruatum meminimus: & quidem frequenti Absynthij quoquo modo vsu; vt in nostris Stirpium Historiis cap. De Absynthio scripsimus.

Ab vtero autem suppressis mensibus raro item sanguinis vomitio superuenit. Virgini vero cui-dam accidisse mihi obseruatum: quæ in ipsa vomitione grauiter laborauit: postea vero idoneis adhibitis remedii, & sanguine ex interiore vena prope talum detraecto; cum menstrua purgatio successisset, bene se habuit. quod & Aphor. 34. sect. 5. Hippocrates docet: Mulieri sanguinem euomenati, menstruis erumpentibus, solutio.

De omnium internorum viscerum citra doloris sensuum corruptione.

CAPUT XXVII.

VLCERE ventriculi visus fuit quidam ceruisiae coctor laborare; non tamen exterioris, sed interioris partis: huic non modo ventriculus male affectus erat, sed omnia interiora viscera corrupta ac foctissima. Multo tempore hic pallidus admodum fuerat, & mali in facie coloris: circa digitorum articulos tumores habebat: dele-

delectabatur ceruisia forti & medicata, quæ scilicet præter fruges, & alia quædam admittebat, quæ ebrietatem faciunt: inter quæ & chamæleagni fructus sunt. Contigit autem huic anno quodam, Martio mense, ut ventriculo pure ac crudis quoque humoribus repleto, cibum potumque non solum auersaretur, sed conatus, ne transmittere quidem potuerit. Profuit serapium acetosum, cuius uno aut altero cochleari assumpto, mox pituitam crudam, copioso pure permixtam, vomuit: quod cum aliquotiens deinde faceret, & vomitus tandem non amplius succederet, ad sanitatem se rediisse sibi persuadens, alia ac plura remedia admittere recusauit. Superuenit paulò post digitum vnius sinistri pedis sphacelus: qui cum arte ac diligentia experti chirurgi constitisset, mox dextrum pedem grangræna occupauit, & velociter progrediens breui supratulos peruenit. Hoc tempore cum de vita periculo admoneretur, respondit se nulla corporis parte dolere, neque unquam ante diuisisse: Ita absque dolore, paucissimis post diebus, sub initium mensis Iunij, è vita migravit: tertio videlicet mense, ex quo pus vomuisset. Huius omnia viscera, quæ aper-

to cor-

to corpore in conspectum venere, corruptissima fuere, multo ponè consistente pure: quorum tantus foetor, adeoque grauis ac molestus, ut diutius hæcere non fuerit posse; multò minus singulas partes lustrare: & tam foetidum corpus necessum fuerit mox sepulturæ committere, alioqui vniuersæ familiæ grauem molestiam allaturum. videtur hic interna viscera sensu destituta habuisse: contrà planè, quam nonnulli alij; quibus hæc sensu prædicta sunt.

De ulcere in gibba iocinoris parte.

CAPVT XXVIII.

MVLIER quædam ex plebe dolore graui in dextro hypochondrio torquebatur: color eius quasi ictero laborantis: corpus extenuebatur: tumor pedum aut ventris successit nullus: vrina rubicunda iocinoris inflammationem præ se ferebat: nec deerat febris. Cùm autem nullis remediis dolor cederet, tandem vitæ finem fecit. In iocinoris huius gibba siue conuexa parte magnum, amplum & profundum ulcus in conspectum venit, quod verisimiliter inflammationi successit. Fuere huic vis-

cera,

cera, atque ipsum iecur sensu prædita; contrà planè quàm superiori, cui citra dolorem viscera computruerant.

De Inflammatione muscularum abdominis.

C A P V T X X I X .

INFLAMMATIO muscularum abdominis ex iis est, quæ rarissimè contingunt: Id circò & Medicum iudicio falli facile contingit. Scriba quidam, cum ruri haud procul Antuerpia esset, dextri lateris cum febri dolore correptus, sed iuxta, ac paulò infra nothas costas. Medicum accersiuit, qui venæ sectione imperata, eclegmata, linimentaque præscripsit, qualia Pleuritide laborantibus adhiberi solent, (Pleuritum enim morbum esse existimabat) Ab his verò cùm male æger haberet, febrisque intenderetur, domum vehi postulauit. ad quem deinde vocatus, hominem offendit febricitantem quidem, sed debilem, & viribus parum valentem, dextrum hypochondrium nonnihil dolentem; ventre verò vehementer distento, ac veluti hydropici alicuius tumente. Exhibui mox purgans medicamentum, sed in exigua quantitate.

quod

quod cùm feliciter cessisset, postridie idem, sed in maiore quantitate propinaui. quo, expurgatis multis vitiosis humoribus, sinistra ventris pars tota subsedit: dextræ verò tumor permanxit. Et cum non modò tumida hæc pars relictæ esset, sed & durior, ac digitis renitens, cataplasma admoui, quo tumor intra paucos dies emollito, nusquam verò apparente loco, per quem pus eruptum sperari poterat, sectionem adhibuimus, adhibita diligentia ne peritonæos membra na vulneraretur: qua circa inferiorem ventris partem facta, mox copiosum effluxit pus; quo deinde expurgato, vulnereque solidato, æger sanitati restitutus est: adhibita interim bona victus ratione & paucis remediis.

S C H O L I O N.

MVSCVLORVM autem hanc abdominis, ac eius qui ex dextro hypochondrio oritur, fuisse inflammationem, ipsa curatio ostendit. Vnde etenim pus nisi ab huius inflammatione? Non est siquidem verisimile, iocinoris fuisse inflammationem, & ab hac pus intra peritonæum & abdominis musculos abscessisse. Cùm autem iste musculus ex sexta, septima, & octaua costis originem ducat, haud mirum, si lege consortij dolor ad co-

E stas

itas initio peruererit, & lateralis inflammationis speciem exhibuerit; præsertim in profundo latitans, & nullam sui notam foris ostendens.

De Sphacelo Iocinoris.

C A P U T XXX.

DE pulmonis sphacelo capitulo x x i i i i. Regimus, de Iocinoris sphacelo modum agendum. Nobilis quidam ac generosus vir nonnullarum rerum suarum iacturam passus, graui mœrore & animi dolore corruptus, in melancholiā incidit, assidue tristis, cogitabundus, ingemiscens: parsimonia iacturam suam reparare laborabat: metuebat lemures & spiritus quosdam. Cūm autem malum intenderetur, nec spes aliqua superesse videretur, ut ad mentis sanitatem redire posset, commissus est monachis quibusdam, apud quos multis annis vixit, perpetuò sui similis, cogitabundus, suspiria ducens, solitudinis amans, à risu ac iocis omnino alienus. Postquam autem hoc modo annis (plus minus) x x. vixisset, tandem de virium suarum debilitate conqueri cœpit, & cibum ac potum auersari: quæ tamen citra appetitiam admisit, & admonitus aliquan-

aliquanto tempore sumpsit. Nulla aderat febris: sitis nulla; vniuersum corpus frigore videbatur: pedes processu temporis cedematosi facti sunt. Vrinæ autem rubicundæ erant, veluti si febris ardens, aut iocinoris inflammatio adfuisset: quæ, quales reddebantur, permanebant, nec ab aëre, aut frigore perturbabantur. Malo autem ingrauescente, ad alium cibum sumendum, præter exigua in sorbitionem, adduci haud potuit. Ita tandem deficiente naturali facultate, inedia quodammodo confectus, è vita migrauit. Huius hepar colore vnde quaque nigrius, quam secundum naturam, apparuit; sed tamen minus nigricans, quam pulmonis sphacelo correpti substantia: impressorum digitorum, vel alterius cuiusque rei vestigia facile retinuit: nec minus facile soluta parenchymatis vnitate, rimas contrahebat. Manifestum hinc hepar huius sphacelo quoque corruptum, & vrinæ ruborem, haud à calore iocinoris, sed ex debilitate penè abolitæ facultatis naturalis, natum fuisse: vrinam eadem de caussa talem permansisse, qualis fuit reddita; quod crudissimum proprium est.

SPHACELVS est partis alicuius mortificatio,
quæ accidit propter natuui caloris priuationem, atque in ipsa parte extinctionem. Eit autem
hæc absque purulentia aut sanie vlla, in parte affe-
cta existente, forma etiam siue figura & quantitate
ut plurimum etiam permanentibus; sed sensu &
motu omnino abolitis & colore in nigrum permu-
tato. Neq. semper præcedit inflammatio; (ut non-
nullis videtur) sed ex sola natuui caloris priuatione
frequentius oritur: veluti in pede coetoris ceruisiae,
de quo cap. xxvii. & in pueri membris de quo
cap. lll. Quibus sphacelus superuenit non præ-
cedente alicuius partis inflammatione, sed ex so-
lius caloris natuui defectu. Qui propter sui pauci-
tatem ac imbecillitatem ad extremas partes perfer-
ri non potuit. Talem autem mortificationem pul-
moni, iocinori, ac alieni accidere posse; licet à ve-
teribus non sit scriptum, ipsa tamen obseruatio
ostendit, nec repugnat ratio. Nam cum horum
viscerum substantia laxa ac rata sit, & præcipue
pulmonis ac lienis, neque soliditatem magnam
obtineat, ipsorum natuum calorem, & quando-
que perire, & per frigidam intemperiem extingui
contingit. Et potuissent veteres horum viscerum
sphacelos quoque obseruasse, si in dissectionibus
corporum vel diligentiores, vel audaciores exsti-
tissent. Sed quia in humanorum corporum dissec-
tionibus minus versati, non solum multa ad fa-
bricam & structuram humani corporis facientia
ipso

ipos latuerunt, sed & multorum affectuum causas ignorarunt, quas corporum disiectio ostendit ac detegit.

De Vrina in morbis frigidis, & ex cruditate natis, rubente.

C A P V T XXXI.

RUBET autem vrina non modò sphacelo correpto iocinore, vel in morbis calidis, vt in febribus ardentibus ac tertianis, partiumque internarum inflammacionibus: sed & non raro iocinore ac ventriculo per diuturnos & longos morbos cum refrigeratione debilitatis. Tinctitur quoque & non raro urgentibus coli doloribus, quando videlicet crudi humores intestina occupat, & exrementorum exitum remorantur.

Honestus ciuis quinquagenarius liberatus à quartana, quæ mensis quattuor aut quinque eum detinuerat, in lienteriam incidit. alii excrementa liquida erant & cruda admodum: nullus febrilis calor restabat: extremæ partes crebro frigebant: vrinæ autem admodum rubentes, vt in febribus ardètissimis, ac viscerum inflammationibus, apparebant. Verùm nos harum nullam rationem habentes, sed ad alia & cruditatem

E 3 respi-

respicientes, consulendum putauimus ventriculo: deinde & iocinori per præcedentem quartanam debilitatis: proinde victus rationem calfacentem & resiccantem instituimus, vinumque exhibuimus generofissimum ac potens, quale Hispanum est. Medicamenta fuere Diagalanges, Dia-trionpeperon, & eius generis similia. Quibus tantum promotimus ac profecimus, ut concocta apparerent excrementa, & vrinæ color remitteretur, ac similis sanorum redderetur. Quibus sic se habentibus, cùm se sanitati restitutum æger existimaret, secretò ceruisiam bibt: mox autem vrinæ color iterum in rubore multùm intensus, manifestè ostendit, ex ventriculi cruditate ac refrigeratione vrinam quandoque tingi, ac valde rubicundam reddi. Deinceps itaque à ceruisia abstinuit; vrinæ vero & mox iterum sanoru similes. Nec prius ceruisia usus est, quām integrè sanitati restitutus foret.

Alteri, viro quidem generoso, vrina quoque admodum rubens, absque febri tamen fuit, qui coli doloribus vñà cum alui obstruzione torquebatur. Profuit enema anodynō, à quo, mox leuato dolore, statim similiter vrinæ color valdè remissus, & sanorum

rum similis redditus: cùm verò ab enemate cessaretur, recurrente dolore, iterum vrina in rubore tingebatur, donec sèpius repetito enemate, coli dolor omnino conquieuisset, aliusque sponte sua succederet, tunc enim vrinæ colores, quales sanorum, persistiterunt.

S C H O L I O N.

Hæc autem propterea referimus, quòd plerique persuasum habeant, non aliunde quàm à calore vrinas tingi posse, qui, tali in colicis dolribus apparente, temerè ad febris curationem confiunt, neglectocoli dolore, quem etiam augent. Quod si autem isti legissent, quæ Galenus scribit lib. i. ad Glaucōnem, non potuissent ignorare, vrinas etiam à cruditate, & in frigidis morbis rubicundas quandoque esse. Nam vbi de quotidiana febri agit, quæ crudorum humorum soboles est, sic scribit: In quotidianis aut albæ, aut tenues, vel crassæ, & turbulentæ, aut rubræ vrinæ apparent. Addit in Commentariis Martinus Akakia, rubras fieri, vbi per imbecillitatem iecoris aut venarum, serum aut rubra sanies vnà cum vrina emittitur.

*De Vrina rubente propter renum
debilitatem.*

C A P V T X X X I I .

NE C rarum quoque sanguine permixto vrinam reddi rubicundam: sed cùm magna parte vel crassus vel grumosus sit,

facilis ciuius dignotio. Sed adeo tenuem vri-
næ permisceri, vt substantia eius nullo mo-
do permutata, colorem tantummodo in-
tendat, admodum rarum est.

Sic autem Iuueni x x v i i . (plus minus)
annorum contigit. Reddiderat hic vrinam
aliquot mensibus perpetuò rubentem, con-
sistens satis tenuem; & ferè persimilem
acutè febricitantium lotio. Consuluerat se-
niiores Medicos, qui remedia veluti super-
calfacto iocinori adhibuerant. Tandem ad
me, tūm etiamnum iuuensem, venit: lot-
ium inspexi rubicundum quidem: cum au-
tem non appareret iuuensis (qui præsens ad-
erat) febricitare, percuntatus num aliquan-
do febricitaret, negabat, sed se continuò
quasi frigere iam ab aliquot mensibus re-
spondit; corpusque suum extenuari sensim-
que macrius redi, viresque infirmiores, &
respirationem difficiliorem; & ea, quibus
eousque usus esset, nihil profuisse. Quibus
intellectis, placuit in alterum diem lotium
relinqui, atque tunc sedimentum eius con-
siderandum; quod quidem sanguinis instar
(vt, quod non nisi sanguis esset) rubebat,
reliqua ac superiora vrinæ parte exiguūm
colorata, & pallidè lutea, nullam febris no-
tam

tam referente. Proinde nullum in iocinore calorem subesse collegi, sed renes debiliores factos, venarumque ora rariora, sanguinem tenuem dimittere: Idcirco mutata curandi ratione, iis usus, quae renes robore, venasque adstringere potuerunt, adhibita victus proba ratione, & simul lacte caprino: ac sic urina rubore desiit: & corpus nutririri, viresque reparari contigit: atque ita Iuuenis sanitati tandem restitutus est.

S C H O L I O N.

HIVIUSCEMODI sanguinis profusionem, quae accidit propter oscula venarum rariora facta, vel ipsum sanguinem attenuatum διαπίσθαι, quasi transcolationem vocant. Contingit vero & aliis modis sanguinem cum urina excerni: Quandoque etenim calculo aliquo maiuscule per ureteras descendente, sanguis una comitatur, sed qui nigricans & grumosus redditur. Calculus vero etiam in vesica existens profusi sanguinis quandoque causa est; quando laborans equitatione vel alias vehementius se se exercuerit.

Menstrua quoque quandoque cum urina permiscentur.

Iam repressus de ginguis profluens sanguis ad vesicam descenderat; ut cap. xv. Vulneratis rebus urinæ initio sanguinem, deinde pus admixtum habent: veluti mulieri contigit, quae pugione

E 5 vulnus

vulnus in lumbis acceperat: mox enim sanguinem, deinde purulentam vrinam reddidit, donec & vulnus & ren curatus esset; quem vulneratum fuisse, particula eius è vulnere exempta ostendit.

6. Exulceratos renes comitatur & sanguis cum vrina, pus deinde sequitur, nisi prius renes curentur.
7. Iam & à magnæ ætatis senibus crassa & sanguine permixto in rubore nigricans quandoque vrina redditur, quæ penè abolitam renum facultatem ostendit, & parum vitæ superesse præsigit

De Scorbuto.

CAPUT XXXIII.

INTER raros casus, morbus haud dubio annumerandus venit, quem nostra hæc ætas Scorbutum appellat: Germani Scorbuck. De quo tametsi breuitet scripsimus Hist. Stirp. Pemp. quartæ lib. 5. cap. De Cochlearia; tamen & hoc loco paulò latius de eodem agendum, haud abs re, fuit. Est autem morbus iste longus ac natura sua diutinus, grauis item & molestus. Germania, quæ ad mare Balticum, ἐπιχωριος ac familiaris fertur: ac deinde oræ maritimæ Frisiæ ac Cimbricæ Cherrhonei, quæ modò Dania. Vnde iam olim ad Brabantos peruenit: nunc verò & Boheiæ ac Silesiæ

inno-

innotescere incepit. Tument ac exulcerantur gingivæ, & non raro supra ipsos dentes attolluntur, oris fœtor inde accedit. Crura & quandoque pedes liuores occupant, haud dissimiles iis, qui parte aliqua suggillata apparent: Liuent quandoque & femora: in brachiis verò & huiuscemodi liuores vide-re, sed perquam raro, contingit. Subinde verò in femoribus non quasi suggillationes, sed puncta liuentia reperiuntur, qualia à publicum morsu relinquuntur. Si magnus & diutinus est morbus, & remedium non adhibetur, tandem & hypochondria liuent: postremò verò & ventris tormenta accidunt, subsecente morte. Præter verò hos liuores, faciei & reliqui corporis magna ex parte pallor accedit: pedes verò & quandoque intumescunt. Morbi causa crassus frigidusque humor, qualis est melancholicus succus, sanguinis fex, non ex adustione natus: cuius fomes est praua vietus ratio; præsertim secale corruptum, per quod anno 1556. apud Brabantos irrepit. Nam cum propter validam famem, secalis usus esset ex Borussia aduecti, non pauci à Scorbuto male habere inceperunt: nonnulli tamen grauius, alij mitius laborarunt, plerisq.
nulli

nulli liuores apparuerunt, sed circa gingiuas
mali labes sese tantummodo ostendit. Olaus
Magnus in Septentrionalium gentium Hi-
storia: Castrensis, ait, est morbus, qui vexat
obsessos & inclusos: ac falsorum videtur ci-
borum esu nasci, frigida verò murorum ex-
halatione foueri. Noui ego quendam ad-
modum angusto carceri inclusum, loco
non humili, sed editiore, vbi nulla muro-
rum exhalatio; & aëris liber per patentes fe-
nestras ac cancellos erat aditus, hoc morbo
satis grauiter affectum; cui non prava victus
ratio, sed angusti & diuturni carceris tædi-
um morbū pepererat. Curatio huius mor-
bi per nonnullas herbas præcipue perficitur,
vt sunt Nasturtium hortense, tum & aqua-
tile Nasturtium: quod à Dioscoride Σιτύμ-
ειον επεγγίγεται. Item & Cochlearia, à forina
cochlearis dicta, quæ sapore Nasturtium
refert. Commendatur verò & Anagallis
aquatica: verùm hæc viribus minus præ-
stat. Decoquuntur in vino, aut in lacte à te-
nuioribus: decoctum aliquot diebus bis aut
ter in die bibitur. Atque hoc solo nonnulli
contenti, haud alia remedia requirunt: os
etiam ac gingiuas eodem, quod bibitur, de-
cocto abluentes: Nonnulli verò & contu-
sarum

sarum herbarum succum propinat, qui efficacior decocto est. Uſus ſum & quandoque Conſerva(ut vocant) ex Nasturtio, quæ cum vino propinata admodum efficax fuit. Sed ex ratione eſt, ut præter iſtas herbās, bona viētus ratio instituatur, & prauii humores vacuatione, ſi vires ferant, minuantur: ori verò ac gingiuis commodis remediis prouideatur.

Laborandum autem ante omnia, ut panis ex optimo ſit tritico paratus, & probè ſit coctus ac fermentatus. Ab omnibus falso-mentis & fumo duratis abſtinendum: pifces quoq. haud conueniunt: fructus horæi crudi pernicioſi ſunt. probatur cibus ex optimis carnibus. Vino utendum eſt albo, aut, ſi ita conditio ægrotantis poſtulat, ceruisia tenui & probè defecata. Humores per aluum vacuandi ſunt. Utilia ſunt folia ſenæ, epithymum, veratrum nigrum, ſi vires ferant. & ex compositis, Confeſſio ha-mech: quibus ea addenda ſunt, quæ & morbi conditio, ac ſimplicium facultas requiri: ut ſunt radices polipodij, aut capparis, asplenium, vulgò Ceterach, heparium vulgare, cassytha, fumus terræ, vuæ paſſæ, anisi aut foeniculi ſemen: Admiſceri verò

&

& Agaricum quandoque expedit, vel etiam Hermodactilos. Sanguinis detractio non, nisi vbi vires validæ sunt, & plenitudo magna, conueniens esse potest: morbi enim causa omnino frigida, & per sanguinis missionem corpus amplius refrigeratur. Ori quoque prouidendum est collutionibus ex herbis calidis, propter morbi causam, ut diximus, frigidam; vt ex thymo, rosmarino, saluia, hyssopo vulgari, quibus adstringentia quædam admiscenda: veluti galbuli cypri, radix bistortæ, aut nonnihil aluminiis: quæ aquæ soli, aut cum vino mixtæ incoquenda sunt. Decocto os & gingiuæ crebro abluendæ, præsertim addito nonnihil mellis rosacei, quod ad abstersionem facit. Vni tantummodo me sanguinis missionem imperasse recordor, illi nempè quem scripsimus angusto carceri aliquandiu inclusum fuisse: qui vir erat fortis, boni habitus, temperamenti calidi, cuius pulsus secundum omnem dimensionem magnus, & valde fortis, præter alia, plenitudinem ostendebat. Huic aliquot vnciæ ex sinistro brachio detractæ fuere: postea exhibitum medicamentum purgans ex iis, quæ superius ostendimus, additis hermodactilis & confectio-

ne ha-

ne hamech. Deinde usus decocto nasturtij ex aqua & vino, paucis diebus sanitatem consequutus fuit: scimel atque iterum intermediiis diebus purgatione repetita: & ori ac gingiuis remedio adhibito; quod fuit collutio, ex decocto hyssopi, salviae, rosmarini, cui additi galbuli, cypresi, aliquot grana vulgo dictarum cubebarum, & aliquid nucis myristicæ: postremò verò & nonnihil melis rosacei; quo oris malum facile quoque emendatum.

Alij citra sanguinis missione curati sunt: quibus purgatio, deinde usus nasturtij vnius, aut cochleariae herbæ, & oris collutio ad sanitatem contulit. Imbecillibus verò & viribus parum valentibus nec purgans exhibitum. Nonnullis verò & solum oris medicamentum satis fuit, quibus vide licet solæ gingiuæ malè affectæ. Podagrico cuidam, si quando decumberet, mox liuores circa pedes & crura exorti sunt, qui ab assumpta nasturtij cum vino conserua citò euanuerunt.

S C H O L I O N.

HIPPOCRATES lib. De Morbis internis morbum quendam describit, οὐλεον ἀματίτην,
id est,

id est, volvulum sanguineum dictum; qui cum Scorbuto, si non per omnia, in plurimis tamen conuenit: *Ex ore (ait) male olet à dentibus, & gingiuæ discedunt, & à naribus sanguis fluit: Aliquando etiam ex cruribus ulcera pullulant, & alia sanescunt, alia emergunt, & color fit niger & cutis tenuis.* Sanguinem autem è naribus profluxisse in hoc morbo memini, sed rarius tamen obseruatum. Ulcera verò subinde nasci nonnulli affirmant; verùm hæc mihi comperta affirmare nequeo. Nec hæc perpetuò adesse, sed quandoque, Hippocrates scribit. nigricant autem suggillationibus persimiles maculæ, & cutis supertensa, quia transparens, tenuis appetet. Quod autem sequitur: *Est autem ad deambulandum ac laborandum promptus, videtur corruptum.* Nam male habentibus cruribus ad deambulationem & laborem, promptitudinem adesse, vix credibile. Proinde pro πρόστυμα, hoc est, promptus; rectius legendum, εἰ πρόστυμα, hoc est, non promptus. Ulcera verò his qui bilioso sunt temperamento potissimum fiunt: ut Hippocrates lib. De Internis affectionibus ostendit. *Quicunque, inquit, splenem habent magnum, si quidem biliosi sunt, hi mali-coloris fiunt, & malis ulceribus scatent &c.* Cùm autem huius affectus causa, frigidus, crassus ac seculentus humor existat, & talem promptissime len recipiat, & ad se pertrahat, tumore quoque ynà afficitur, & maior sit. Quod etiam Hippocrates scribit Prorrheticon lib. 11. Gingiuæ, inquit, vitiatæ & oris graueolentia his sunt, quibus splenes magni. *Quicunque verò habent splenes magnos, & neque san-*

Sanguinis eruptiones ipsis contingunt, neque oris graue-
olentia, horum tibiae vleera prava habent, & (malim
legere, aut) cicatrices nigras. Succedere autem sple-
ni magno vel sanguinis vomitionem, vel Scorbu-
tum, vel Asciten à nobis frequenter obseruatum.

De Vrina intra peritonæum collecta.

CAPUT XXXIII.

ASCITICIS aquosos humores in caui-
tate ea contineri, quæ inter peritonæū
& intestina, in confessu est: colligi verò & il-
lic vrinam posse præcisus vrteris, Gale. lib.
1. De Naturalibus facul. prolixè docet. ac-
cidit verò & idem vesica læsa ac exulcerata.

Monialis quædam virgo quinquaginta
quique aut sex annorum, multo tempore
circa inguina & pubem doluit; nullis inte-
rim ex utero prodeuntibus excrementis: su-
peruenit tandem ventris tumor, quo indies
maiore facto, neque ullis cedente reme-
diis, mors tandem subsequuta est. Toto
autem quo laborauit tempore, facies per-
petuò elegantis & viuidi, ut in sanitate, per-
stittit coloris: sinistri tantummodo cruris su-
pra talos dolor molestus erat, cùm tamen
nihil illic mali appareret. Huius venter non
aquoso humore alio, sed vrina plenus ex-

F stitit,

stitit, quæ ex læsa & pertusa vesica in hunc influxerat. Vterus liquidem omnino exulceratus fuit, ac ita quidem, ut ne figuram suam retinuerit: vesica quoque, qua parte ipsum contingebat, similiter & aliquot foraminibus hiens, per quæ vrina in ventris cavitatem delata fuerat. Reliqua viscera, hepar, ac lien, omni labe ac vitio carebant: atque idcirco color faciei, ut diximus, haud fuit permutatus. Quod autem ex vtero excrementa nulla descenderint, hymen obstruit, quod natura virginibus concessit. Nam hoc integro, nihil ex vtero descendere, aut deferri posse, vel hinc apparere potest.

De alii excrementis intra peritoneum collectis.

CAPUT XXXV.

VRINAM vesica perforata in ventris cavitatem profluere superiore capite ostensum est: Sed & alii excrementa vulneratis intestinis ed quoque deferri possunt. Vxor fuit Medici, formosa & viuido calore praedita, carnosæ quoque & satis pinguis. Hæc posteaquam nupsisset, concepit, ac deinde

deinde peperit, sed foetum nec plenè gestatum, nec vitalem. Post partum ventrini modò subsedit, sed & paulò post auctior factus est, ampliusque quam prius intumuit: suspicio nata est, collectos esse in ventre aquosos humores, tametsi faciei color non mutatus, sanitatem viscerum præ se ferret: nec pedes (quod sèpè hydropicis accidit) tumorent: & urinæ sanotum similes. Exhibita quandoque initio hydragoga medicamenta, verum ab his nulla aquosi humoris successit purgatio: sed torsiones admodum molestæ, ut non temere ab usu omnium medicamentorum abhorruerit, & Medici abstinuerint. Cessatum itaque est ab omnibus purgantibus medicamentis. In hac autem tanta miseria annos (plus minus) duos vixit: ventre interea in tantam molem & altitudinem distento, ut vix genitales suas partes manu propria contingere quiuerit. Admirabantur Medici quotquot eam subinde visebant, ventristantum tumorem, facie optimè colorata, & nullis morbi notis in urina apparentibus. Accessit successu temporis respirandi difficultas, que indies increscens ac molestior facta, nec ullis

F 2 cedens

cedens eclegmatis, tandem vitæ imposuit finem. Dissecto ventre non aquosus humor, sed sordes nigrae, quales in cloacis, effluxerunt, crassæ, foetidæ, quibus frustillatum omentum permixtum, quod solum à tantis sordibus computruerat. Sordium autem tanta fuit quantitas, ut quattuor vrnas vel amplius implere potuissent, quarum singulæ quadraginta libras mensurales continent. Distensio autem ventris tam quoque magna, ut peritonæum, cùm amplius distendi non potuerit, aliquot locis à superioribus partibus ad inferiores usque fissum fuerit, & iecur cum liene ac ventriculo, relicta propria sede, cedente septo transuerso, intra pectoris spatum ascenderit: pulmone cum corde sursum collum versus in angustias coacto. Quæ viscera integra nec vlla parte vitiata fuere. Non libuit in tantis sordibus intestina eximere, & diligentius perquirere: sed dubium non est, sordes istas non aliunde, quam ex intestinis vulneratis ac læsis profluxisse. Nec etenim alia via aut modo in hunc locum peruenire potuerunt.

De

De Ilei dolore.

CAPUT XXXVI.

PHARMACOPÆVS maximo Ilei, tertio quoque die, dolore torquebatur. quo sæuiente febris aderat satis vehemens, & umbilicus vnâ cum circumuinis partibus in tumorem attollebatur. Iniecto autem in ipsis doloribus enemate satis acuto, expurgatisque vitiosis, admodum viscidis, crassis, foetidisque fecibus, dolor conquieuit, febrisque cessauit. Quod cum saepius contingeret, & nec desinerent huiuscemodi tertianæ exacerbationes, nec enemata, hisi cum adhiberetur, prodeßent, de aliis remediis deliberatum. Tentata quædam sunt, sed cum nec his dolores integrè sedarentur, pilulæ Iliacæ occurrerunt, quæ à Rhasi lib. IX. ad Almansorem describuntur. Harum scriptulus in die quietis exhibitus, admodum prauos & vehementer foetentes humores eduxit: quibus expurgatis, Ilei dolor multum sopitus. cum autem in vniuersum non cessaret, eadem in paulò maiore dosi exhibitæ: quibus reliquis humoribus eductis, Ilei dolor omnino conquieuit. De istis pilulis in capite de Colocynthide scripsimus

F 3 in no-

in nostris De stirpibus Historiis. Earundem
verò singularem facultatem sèpius, in ructu
autem molestissimo valdè mirificam com-
pertam habemus. Hispano quidam militi
ad eò molestus ac difficultis erat assiduus ru-
etus, ut in extremis versari videretur, cùm
ad eum vocarer. Usus fuerat admodum
multis remediis; sed frustrà omnibus: nec
quicquam per hæc profecerat, nisi quòd vi-
res eius insigniter forent deiecta. Huic in-
itio exhibuimus pilulam unam dcccem gra-
norum pondere, per quam vitiis ac fœti-
dis humoribus nonnullis expurgatis, melius
habere videbatur: postea paucis diebus in-
terpositis data grana quindecim, tertio ve-
rò scriptulus unus: quo assumpto & expul-
gatione prauorum humorum succedente,
qui ante alecto affixus veluti moriturus ia-
cuerat, surrexit, & quo eunque libuit, am-
bulavit, & cibum potumque cum appeten-
tia assumpsit.

De Cola flatu distento.

CAPUT XXXVI.

TONSOR quidam ex dextro hypo-
chondrio efferti sibi quiddam con-
qurebatur, quod in sinistro conquiesceret,
quo

quo super ventriculi fundo transeunte, cibi potusque portio regurgitans, subito per os exiliebat, vel utilagena aliqua coriacea compressa, eius quod in ea continetur, cum impetu pars quedam reiicitur. Multorum imperitorum Medicorum opera usus, velimentia medicamenta, ac violentissimas purgationes sustinuerat; sed cum huiuscmodi remediis malum non cederet, tandem defecit.

Huius intestinum colon à dextro in sinistrum, & qua parte ventriculi fundo incubit, flatu omnino distentum erat, & ab omnibus excrementis vacuum: reliqua intestina fecibus plena; ex quorum superioribus cum feces descenderent, impetu quodam violento per distentum colon ferebantur, ventriculi fundo compresso. Vnde factum est, ut cibi potusque portio ad os subito regurgitaret.

De Tympanite.

CAPUT XXXVII.

TYMPANITEN cum Ascite in plurimis conuenire, & in paucis differre, multis sentiunt. Nam in utraque subesse

aquosum humorem & flatum; differre autem maioris minorisque ratione. In Ascite plus esse aquæ, minus flatum: in Tympanite è contrà plures esse flatus; aquæ vero quantitatè minorem. Sunt autem & qui Tympaniten in Ascitem transire posse credant; flatu videlicet inspissato, ac veluti nubilo reddito. Sed si Tympanites fuit, quem aliquando obseruauimus, multum ab Ascite differens est: difficillimus quoque ac acutissimus morbus, citoque iterim.

Monachus quidam multo tempore, aliquot etiam annis, circa umbilicum torsiones cum sonitu ac strepitu admodum molestas senserat, quæ nullis remediis superati vñquam potuerunt. Tandem subito quodam tempore venter vniuersus in tumorem prægrandem attollitur: vrina & aluus supprimuntur. Enemata & potiones nihil proficiunt, omnia frustra, nulla succedente alui expurgatione: sic magnis doloribus confectus, vitam cum morte commutauit.

Simile & quiddam accidit coriario, cui quoque venter citò tympani in modum distentus, sonum pulsatus dedit. Nec hic ullis remediis restitui potuit: alio quoque & vrina suppressis.

SCHO-

SCHOLION.

De hoc morbo scripsit Hippocrates Aph. xi. lib. quarti: *Quibus tormina & circa umbilicum labores, & lumborum dolor, qui neque à medicamento, neq; aliter soluitur, in aquam intercūtem siccā firmatur.* Hydrops autem sicca à posterioribus Medicis, ut Galenus ait, Tympanias dicitur: quoniam summus venter percussus talem sonum edidit, qualem tympana. Non temerè autem est, quod Hippocrates scribat, *Asperitu*, hoc est, firmatur: volens indicare, morbum hunc nullis remediis curari posse. Quod nec mirum, si etenim quæ præcesserunt, à nullo solui potuerint medicamento: multò magis qui succedit Tympanias, incurabilis, ac nulli medicamento cedens, existet.

De Hydrocæle.

C A P V T X X X I X.

HYDROCOELE alias vniuersum scrotum, modò vnam eius partem, sinistram videlicet aut dextram occupat. Impletur totum scrotum hydrope vel etiam cachexia laborantibus. Quæ verò vnam tantum partem afficit, aliam occasionem habet, nec hydropicos comitatur, sed omnino aliter affectos. Non colligitur quoque humor in scroto, sed in membrana cry-

F 5 throide

throide teste continente. superuenit quandoque ex causa aliqua externa & manifesta; ut à casu aut percussione: crebro verò etiam ex latente & non manifesta. Quae autem ab externa causa accessit, aut dextrum aut sinistrum testem indifferenter affigit, & in tumore sanguis sæpenumerò concretus ac corruptus continetur. A latente verò ac non manifesta causa originem ducens, nunquam alium quām sinistrum testem occupasse diligenter nobis inquirentibus obseruatum. In hac humor influit tenuis, & vrinæ consistentia similis, crythroiden distendens membranam: qui subinde tam copiosus in hanc fertur, ut tumor quandoque ad humani capitis magnitudinem perueniat. Testis autem substantia ab acrimonia humoris successu temporis, non tamen mox, corruptitur. Veteres, inter quos apud Aëtium Leonidas, Hydrocoelen tumorem esse laxum, & citra dolorem, traduunt: & talis quidem sæpiissime contingit reperi: seus tamen in Anglo quodam euenit. Inciderat hic in grauissimum sinistri testis cum tensione dolorem: qui nullis cataplasmatis, fomentis, emplastris, multò minus inunctionibus, placari aut leniri potuit.

Vnicum.

Vnicum videbatur remedium sectio & testis ablatio. Antuerpiæ illo tempore multi erant cœlubres & magni nominis Medi- ci: plerique horum curationem tentarunt. cùm autem se se nihil proficere experien- tur, in eandem nobiscum sententiam de- uenere, in sola sectione vnicam & solam spem reponentes; interim tamen nemine de hydrocœle opinionem habente, sed omnino alium circa testem affectum con- sistere suspicante. Sectus igitur tandem est æger, & sinister testis ademptus. In ipsa autem sectione demum cognitum hydro- cœlen fuisse affectum, copiosa in secantis faciem aqua exiliente. Testis integer & haud quaquam corruptus existit (nuper enim natus erat dolor) quem cum etiam- num calentem chirurgus medium diui- deret, ex ipsius centro semen erupit. quod annotatione dignum. Curatus ac sanatus à vulnere, paulò pòst de lumborum dol- ore ac grauitate conquerebatur: apparebant in lotio arenulæ quædam: de latente aliquo in renibus calculo suspicio erat. In pube deinde circa cicatricem dolor cum tumo- re successit: accendentibus verò & aliis sym- ptomatis, mors tandem subsequuta est.

Sacri-

Sacrificato autem circa pubem accicatricem loco, aquosus effluxit humor, & quidem copiosus. ren verò sinister durus admodum erat, ac iusta quantitate maior, & substantia interiore haud paréchymatis colorēm referens, sed candidior, concreto ac indurato puri (quod subinde in affectibus varias formas accipit) similis. Hinc apparet, & abundè manifestum sit, quam obrem hydrocœle siue aquosus ramex, haud ab externa, sed à latente causa procedens, non nisi in sinistram membranam incidat, atque huius testem affligat. Nam huius partis seminalis vena, non ex caua, veluti dextra, oritur, sed ab emulgente sinistri renis procedit ac originem sumit. Renè verò hoc malè affecto, nec officio suo probè fungente, vrinæ pars, quam emulgens hæc ad se pertraxit, cùm ad vesicam per malè affectum renem non potest descendere, per seminalem in erythroiden delabitur, hydrocœlen eo modo ingenerans. Sublato autem teste vnâ cum sua membrana, non amplius illic decumbere humor potest. Quod si aliquis eò postea descendat, hunc in pube hærere necessum est; veluti Anglo contigit, cui, paulò ante mortem, humor qui deflu-

defluxerat, hoc loco substiterat, tumoremque cum dolore, ut diximus, excitauerat.

De Scroto in hydrocæle periculosa sectione.

M

C A P I T U L U M

In genito quodam viro, quam omnis periculi plena sit scroti & crythroidis membranæ in hydrocæle per scalpellum apertio, teste non sublato, compertum est. Ab aliquot annis sinistra parte hydrocæle huic molesta fuerat: frustra cataplasmatis, ac aliis remediiis crebro usus. tandem temerarij chirurgi consilio acquiescens, aperiri sibi scalpello tumorem permisit. Effluxit cito omnis humor: tumor quoque subsedit, sed cum testis ipse omnino esset corruptus, vicinas partes facile infecit. Subsequuta mox scroto vniuersi, ac etiam penis, cum tumore & ingenti dolore, gangrena. Delirium cum vehementi febri propter doloris magnitudinem superuenit; ac non ita multo post mors accessit. Ren huius sinister corruptus fuit, & seminalis in crythroiden descendens, valde ampla & multum patens.

De

De Gonorrhœa Venerea.

CAPUT XL.

MULTVM interest inter veram Gonorrhœan, id est, semenis profluum, & alteram impropriè dictam Gonorrhœan, quæ ex concubitu cum luc Venerea infectis contrahitur. Diuersæ sunt causæ: differētia symptomata: curandi ratio dissimilis. Sed de cā quæ propriè dicitur, nihil hūc adferendum; de altera vero quædam scribenda: Quæ est purulentæ, corrupti, ac foetidi humoris per penem defluxus; quem interni meatus exulceratio concomitatur. Catunculæ etiam quædam circa ulcerum labia quandoque suboriuntur; quæ libetum vrinæ transitum subinde remorantur. malum si diutius constiterit, ulterius scribit, vesicam, vreteras, & tandem ipsos etiam renescit. Generofus vir ex familia Francisci & Henrici Franciæ Regum, cum decem & octo annis huiuscmodi profluuo laborasset, incremente indies malo, atque ynæ symptomatum fæuitia: nec ullum ex medicamentorum præscriptorum usu, fructum consequeretur, ad fontem proficiuntur, haud procul Leodio, qui creditur esse, quem

quem Plinius Natur. Hist. lib. xxxi. cap. xiiii Tongris esse scribit. Hoc ubi aliquot diebus usus esset, dolores valde remissi sunt, ita ut suauius illuc, quam alibi multis annis, vixerit. Fontis siquidem aurum ea propria ac singularis est facultas, ut vesicæ renunt que dolores sopiat ac leniat: morbos tamen harum partium raro personet: ventriculam debilem idem roborat: ciborum languorem appetitiam excitat: hydropicis, praesertim Leucophlegmatia laborantibus, subinde sanitatem reuocat. Possemus non nullos adferre grauissimos ex vesicæ aut renum calculi doloribus miserè afflictos, qui interea dum hunc biberent, à doloribus liberi visi fuerint; non tamen idcirco sanitati restituti. Prætermissa siquidem huius potionis, recurrentibus etiam acerbius quandoque doloribus, peius habuerunt. Veluti huic generoso contigit viro. qui interea dum aquam fontis biberet, melius habere videbatur, sed illinc reuersus, mox omnino peius. Ita ut Melchiniæ subsistere cum symptomatum vehementia coegerit: ubi ingrauescentibus omnibus doloribus, viribusque deficientibus, vitam cum morte commutauit.

Disse-

Dissecto ac aperto huius corpore, repertus
est ren vterque maior, quam secundum na-
turam, durus, concreti ac indurati puris eo-
lorem ac similitudinem referens: vreterae
ambæ interius exulceratae; vesica planè rigi-
da, nec extendi nec contrahi potuit. Huius
yna membrana ab altera diuulsa, copioso
intermedio pure. In exteriore tuberculæ
quædam liuida apparebant: interior multis
foraminibus pertusa. Colis siue penis mea-
tus in totum exulceratus, & sanguine cont-
creto plenus. Candelis frequenter vsus fue-
rat ex candida cera, quæ sepius impositæ
ac exemptæ, irritatis ulceribus, profusi san-
guinis causa fuere. Talis igitur generosi hu-
ius viri constitutio fuit, quem tot annis, tan-
tis doloribus superesse potuisse, non citra
admirationem fuit.

De Vrinæ profluvio.

CAPUT XLII.

HONESTVS quidam ciuis vrinæ deti-
nebatur profluvio: subinde vno die
amplius quam vrnam x l. librarum redde-
bat. Bibebat non minus: ut qui propter assi-
duam vrinæ profusionem, assidua quoque

siti

siti premeretur. Cum autem huic nulla prodeffent remedia, & vix vlla sibi adhiberi pateretur, paucis diebus deficiens, è vita commigrauit.

Alius quidam mercator vrinam quoque admodum frequenter reddebat, sed minus nec adeò copiosam, diuque hoc malo laborauerat. Albida autem vrina erat, non transparens, & paulò quàm serum lactis tenuior: in qua quidem grumi subinde permixti ferebantur. Superueniente vno tempore febri, vrinæ accessit incontinentia; sic ut & dormiéti proflueret. Posteaquā autem sanguinis missione, & enematum usu, paucisque aliis remediis febris cessasset, desijt ignorantis in somno effluere, sed tamen fréquēs, ut anteà, & mediocriter multa: & qualis prius, talis & in febri & postea perstigit. Sitis verò & hunc premebat propter vrine copiam, sed multò quàm alium minus. Morbus autem pertinax nullis remedijs cedebat, interim ut non vehemens, ita neq. negotiis magno erat impedimento. Usus fuerat aliquot annis æstatis tempore aqua fontis Leodiensis: sed nec ex hoc fructum retulit, citius ab eo malum auctum: nam aqua hæc diuretica, & vrinas vehemēter mouet.

G S C H O-

SCHOOLION.

MORBVM hunc Diabeten fuisse apparer, præsertim ciuis, cuius vehementius fuit malum. Nec tamen mercatoris affectus aliò referendus videtur. Comparat hunc Galenus Leuitati intestinorum : quemadmodum enim per hanc cibus assumptus citò deiicitur: ita & in Diabete potus velocissimè per vias vrinarias descendit. Proprius autem renum est affectus, qui ex retentricis facultatis debilitate oritur, accedente attractricis robore. Vnde & sitis necessariò consequitur. Potus autem qui assumitur, non talis omnino redditur, qualis assumptus est. Nam in iocinore mutationem nonnullam accipit, licet exiguo hæreat tempore: in renibus verò non permittatur. Idcirco & crudæ apparent vrinæ.

*De Calculo in vesica sponte
rupto.*

CAPUT XLIII.

VIRO annos nato (plus minus) xxx. si quando recenter coctam, aut nondum plenè defecatam biberet ceruifiam, aut etiam paulò acidiorēm ; vel etiam vinum mustum, vrinæ stillicidium mox molestum erat. Calculi in vesica nulla alia signa aderant. Quodam tempore cum liberiūs bibisset, & quidem Rhenanum vi-

num

num, magno cum dolore sanguinem min-
gere cœpit: atque simul exigua quædā in
calculi fragmenta excernere: quæ acutissi-
mos angulos habentia, particulis illis mi-
nutis, à silicibus dum franguntur ac rum-
puntur dissilientibus, erant similia. Intu-
muit mox præ doloris magnitudine penis
ac totum scrotum. Tertio autem die in
dextro inguine propè penem, gangræna
nata apparuit: qua scalpello aperta, copio-
sum fœtidissimumque pus effluxit. Se-
quuta deinde per vulnus vrina, & calculi in-
tra vesicam disrupti ac fracti acuta frag-
menta multa: quæ & aliquot pòst diebus
per hunc locum excreta fuere: cathetere
interim aliquando in penem immisso, ne
quid in co hæreret, postea molestias allatu-
rum. Nullis fragmentis amplius prodeun-
tibus, aut cum vrina exeuntibus, procura-
tum est, ut quām citissimè vulnus coalesce-
ret. Hoc consolidato, humor quidem cras-
sus, lentus, viscosus, inalbicans, matulis
adhærcens, vrinæ permiscebatur: qualis
sæpenumerò calculo in vesica existente
cùm vrina excernitur. Cum autem nullis
remediis hic supprimi aut resiccati se pate-
retur, ad fontem in agro Leodiensi malè

habens profectus est. Illic verò ubi dies quadraginta vixisset; absque tamen ullo fructu, à Medicis præsentibus admonitus, alijs quadraginta mansit. Reuersus sanitatem suam homini concredidit indocto, qui ex vino Cretico, additis radicibus, herbis, ac seminibus omnibus fortibus diurcticis, stillatijū ei liquorem præbebat, quo omnia symptomata plurimum exacerbata fuere. Andreas Vesalius id temporis Bruxellæ erat, huius hortatu ac consilio sectionem admisit. Calculi exempti sunt quinque, quorū duo vesicæ adhærentes, difficulter admodū & cum labore auulsi sunt. Tres reliqui, unius fuere in vesica contracti partes: ut his simul iunctis mox manifestum erat. Huius fragmen-ta fuerant, quæ primo tempore molestiam facere, & difficilium symptomatum causæ extitere. Erant autem calculi isti quadrangulares, & superficiebus planis, contrà planè quam vesicæ calculi esse solent; qui vel rotundam vel oualem figuram plurima parte referunt. Causa cur intra vesicam calculus ruptus ac fractus fuerit incognita: nisi fortasse unius cum altero collisio fuerit. Naturæ opera admirari possumus, causas cognoscere saxe non contingit.

De duodecim in vesica calculis.

CAPVT XLIVI.

IVRIS PERITVS quidam supra quinquaginta annos natus, diu molestissimo vrinę stillicidio, accedentibus plurimis, calculi in vesica latentis, indicijs, laborauerat, cùm ad se sectionis peritum vocat. Hic facto experimento nullum in vesica calculum esse iudicauit. Profectus igitur ad fontem, de quo supra scripsimus, est. Illinc reuersus, non melius, sed peius habuit: vrina albida, fœtida, ac purulenta facta. In vesica huius duodecim reperti sunt calculi, quorum qui maior nucis myristicæ nucleum æquabat: ac ren sinister purulentus, ac ferè consumptus, exiguo admodum parenchymatis reliquo.

S C H O L I O N.

CONTINGIT non raro, ut calculo in vesica confidente, renes inflammatione corripientur, ex magnitudine videlicet & diuturnitate doloris, per cōsensum affecti. Inflammationi succedit abscessus, huic verò puris mictio. Subinde vnum tantum inflammati accidit: aliquando & alterius inflammatio succedit: ut nonnullis accidisse meminimus.

*De Calculo è muliebri pudendo sponte pro-
pemodum excidente.*

CAPUT XLV.

VESICÆ calculus non viros tantum
excruciat, sed & mulieribus quando-
que grauissimas molestias adfert, conti-
nuosque cùm vrinæ stillicidio dolores. Sed
è virili corpore non, nisi sectione, eximitur:
mulieribus verò quandoque sua mole ac
pondere, vesicæ ceruice extensa, in vteri
meatum descendit, è tenui mémbrana de-
pendens. Sic contigisse cuidam seni, & su-
pra LXXV. annos natæ matronæ, in non-
nullorum adhuc memoria restat. Diutinè
hæc ex calculo vesicæ laborauerat, & maxi-
mos perpessa dolores, multas noctes insom-
nes transfegerat. Cùm autem nullum ho-
rum finem speraret, tandem ancipitem
curationem subire, & sectionis periculo se-
se exponere maluit, quàm diutius tantis
doloribus superesse. Nec generi sui Medi-
ci doctissimi, neque aliorum Medicorum
tantum potuerunt in contrarium admoni-
tiones aut rationes, vt à sententia dimoue-
retur. Inuentus est itaque temerarius &
audax *Ιθότομος*, qui tantæ *ετatis* mulieri,
diu-

diutinis tamen nocturnis quam diurnis doloribus exhaustæ ac ferè confectæ, sectionem se aggressurum reciperet, & feliciter perfecturum polliceretur. Fauet temerario homini fortuna. Dum tentat aggredi curationem, magnum ac insignem calcum, iam extra vesicam delapsum, offendit, in tenui membrana pudendo inhærentem. Secat membranam: calculus excidit. Atque ita citra omne periculum à calculo matrona hæc liberatur. Et qui alias sponte (ut videbatur) casurus erat calculus, ope atque auxilio sectoris prius cadit. Superuixit hæc pluribus deinde annis: sed vrinam continere non potuit. Hoc unicum ex prioribus doloribus reliquum tantummodo fuit.

*De Ischuria propter calculum
renibus impactum.*

CAPUT XLVI.

ISCHURIA, id est, vrinæ suppressio accidit, vijs, per quas descendit, obstructis aut impeditis. Rarius tamen vreteres aut renes omnino obstrui contingit: Quod si aliquando accidat, lumbos grauitas tenet, partibus circa vesicam liberis: Mulier quædam diuturno lumborum dolore

detinebatur: aderant manifesta calculi in renibus hærentis signa. Nullum hæc remedijs genus prætermiserat, quod calculi comminutionem aut attritionem polliceretur. Vsa quoque consilio cuiusdam, qui ligni Guaiaci, cum omnis generis fortissimis diureticis, decoctum ei exhibuit. A quo in vrinæ suppressionem incidit, ab soluto ac firmato in renibus calculo. In singulis huius renibus singuli reperti sunt calculi, totidem radios habentes, quot in renum substantia meatus.

SCHOOLION,

QUAM periculosus autem sit intempestiuus & minus frequens diureticorum usus, vel hoc uno exemplo satis manifestum. Galenus lib. I. De Simp. medic. facult. hoc quoq. satis innuit, ubi fortia diuretica ijs comparat, quæ lac coagulant. Veluti enim hæc serosam lactis partem separant, reliquum indurant: sic quod in sanguine tenue ac serosum per vrinas fortia diuretica expellunt, crassius inspissant, ac, ut in lapidem aut calculos conuertatur, efficiunt.

De vrinæ retentione propter feces in recto intestino hærentes.

CAPUT XLVII.

RETINETVR quoque vrina duris fecibus in intestino subsistentibus, com pri-

primitur enim ab his vesicæ ceruix, qua compressa vrina retinetur. Atque idcirco dum exoneratur alius, vrina tūm demum procedit, cùm rectum intestinum liberum est.

Nobilis vir L X. annos compleuerat, cùm triduo vrinæ illi via præcludetur, nullo lotio succedente: huic balneum, mox enema profuit. Emollitis siquidem atque expurgatis alui excrementis, mox vrina successit. Atque ita paucis horis liberatus, cui vrinæ suppressio totum triduum fuerat molestissima.

S C H O L I O N.

QVANDO vrina supprimitur, & reddi nequit, sæpè non expedit diuretica medicamenta propinare. Nam quò plures humores ad vesicam perueniunt, hòc amplius distenditur, & minus exonerare sese potest. Laxiores & patenteres vesicæ meatus reddi præstat; quod & fomentis, & infusibus siue balneis efficitur. Quod si verò & feces intestino recto hæreant, has vel maximè educi enemate refert. Quod non solùm feces educit, sed & fomenti loco esse potest. Incumbit vesicæ colli superior pars recto intestino: proinde & hoc fecibus grauato, vrinæ via præcluditur. Si verò feces adeò duræ fuerint, vt enema immitti nequeat, primùm balneo vtendum, dein-

G S de,

de; nonnihil emollitis fecibus, enema adhibendum. veluti huic seni contigit, cuius feces adeò duræ in recto hærebant intestino, ut canaliculus clysteris immitti, priusquam balneo usus esset, ne quiuerit.

*De stillicidio urinae ex usu
vini Rhenani.*

CAPUT XLVIII.

VIR senex LXXXII. annorum, cum iuuenis esset, ac in vigente florenteque ætate, nec non post, vini potatione delectabatur; sed haud alterius quam Rhenani: cuius subinde multas amphoras bibere poterat citra ebrietatem, aut cerebri ullam offendam. Hic post sexagesimum ætatis annum temperantius vixit: præteritis vero LXXX. vitæ annis etiam quam antea parcus multò: & raro admodum vino Rhenano usus: tandem vero nec bibere citra offendam potuit. Si quando etenim Rhenanum eum bibere contingebat, etiam in exigua quantitate, nec copiosè, mox illi urinæ stillicidium valde molestum fuit. Ab aliis vinis, ut Gallico, Hispanico, aut rubro non offendebatur. Repertum fuit remedium, sed quod non nisi præsenti malo succurreret. Quotiescumque enim ad Rhenani

nani vini potum reuertebatur, mox iterum
vrinæ stillicidium accedebat. Profuit tan-
dem ex ouorum testis in cinerem redactis,
& vino Rhenano permixtis, lixiuum: quo
vel semel assumpto, deinceps vino Rhena-
no, ad extremum vitæ usque diem, innoxie-
vti potuit. Superuixit autem, postquam
liberatus à stillicidio vrinæ esset, annos
duos, aut tres.

SCHOLION.

ALVIDVM fuit Rhenanum, quo senex iste
in iuuentute ac consistente ætate delectatus
fuit & à quo in senectute extrema offendebatur.
Admodum autem tenuium partium istud vinum
est, citissimè ad vesicam descendit, & facile crudi-
dos viscidosque humores secum dicit: quales in
viis vrinariis hærentes stillicidij vrinæ causæ esse
potuerunt, quibus deinde per lixiuum incisis &
expurgatis, liberior factus est vrinæ de sensus.

De Mola.

CAPVT XLIX.

MOLA, de qua scribimus, carnæ quæ-
dām & informis moles fuit, talem
multo tempore, & aliquot etiam annis
(plus minus xv.) in utero olim gestauit
honesta quædam vidua. existimabat vte-
rum prolapsum, quod in ostio uteri pro-
pendere aliquid sentiret. Profluebant statis-

tem.

temporibus menses: & subinde copiosiores quām par erat. Tandem quodam tempore, superuenientibus nonnullis partus doloribus, rudem excreuit & informem carnem molem, pedē ferè longam, latam semipedem, tres quatuorue digitos altam.

Sunt verò & aliæ à recentioribus dictæ Molæ, per quas venter distenditur non minus quām grauidis: vna collectis in utero flatibus: altera aquosis humoribus uterum implentibus.

De Mola ex flatu extat apud Valescum exemplum cap. 6. lib. 15. Nobis verò & obseruatum huiuscmodi inflationem effaci remedio curatam, prodeuntibus per pudendum muliebre flatibus, veluti per anum excerni solent.

Aquæ in utero collectionem vidimus in vidua quādam, quæ defuncto marito, cùm se grauidam relictam existimaret, i x. mensibus adimpletis, superuenientibus partus doloribus, non nisi aquosos humores enixa est, à quibus liberata, lacte ubera repleta haud aliter, quām si fœtum peperisset.

SCHOLION.

MOLAM, quæ Græcis μύλη, induratum esse uteri tumorem, qui modò in ipsius ostiolo, modò

modò in ipso toto consistat, Aëtij & Pauli est sententia. Sed Galenus 14. Method. Molam informem esse carnem, ait, & inutilem in vtero gestatum conceptum, qualis illa viduæ carnea moles, quam aliquot annis in vtero gestauerat. Et talis quidem propriè μύλη ac Mola dicitur. Nam quæ ventosæ & aquosæ cognominantur, à Græcis & veteribus Medicis pro Molis non agnoscuntur. Flatuum in vtero collectionem, ἐμπνευματώσιν τῆς μύτης, Inflationem uteri; & posteriores Ventositas matris nominant.

De aquosi humoris in vtero colle ctione meminit Hipp. in lib. De Natura mulierib: tūm & Aëtius, qui vteri hydropeum appellat. Hippocrates aquæ in vteris collectionem grauidis superuenire affirmare videtur; Aëtius verò, tunc humoris copiam in vterum confluere, quando menses suppressi & imprægnatio impedita. Vtrumque nobis obseruare contigit: memini enim nonnullis vnâ cum fœtu copiosum aquosum humorem ex vtero processisse, fœtu debili ac non vitali. Sed vidua altera, de qua scripsimus, quæ existimabat grauidam se relictam, solùm aquosum in vtero gestauit humorem.

De Hæmorrhoidibus.

CAPVT L.

HOEMORRHOIDES venæ quandoque exterius prominent: non raro interius latent: fundunt sanguinem quædam, aliæ non: sanguinis excretionem præcedit

cedit aliquando dolor: s^ap^e citra dolorem profluit: dolent verò etiam nullo sanguine succedente. Dolor autem tam magnus esse potest, vt per sympathian vesica laborante, vrinæ succedat stillicidium. Viro cuidam cœcæ ac internæ hæmorrhoides molestæ erant: Medicus cnemata adhibucrat, quibus salem & hieran picran admiscuerat. hinc dolor & inflammatio adeò intensa, vt non minus, quām hæmorrhoidum labor, vrinæ quoque molestum esset stillicidium, & cui prius remedium adhibendum foret, in deliberationem caderet. Huic autem mox olei violacei vncia in anum iniccta benè fecit, dolore primū hæmorrhoidum, deinde & vesicæ leuato. Eodem verò postea aliquotiens imposito, omnis dolor citò conquieuit.

De Aneurismate.

CAPUT LI.

MULTAS corporis partes Aneurisma occupare potest, cùm internas, tùm externas. Originem habet duplicem: vel enim ex arteria dilatata: aut vulnerata. Aëtius frequenter in gutture fieri refert: sed nobis infra guttur, super os pectoris, plurics
cna-

enatum apparuit. Tumor hoc loco initio paruuus, tempore crescit ac maior fit, mollis, & ad digitorum impressionem cedens: in quo pulsus, qualis arteriis, percipitur. Temerarius chirurgus huiuscemodi in pectore tumorem scalpello aperire ausus fuit: hoc aperto, profluente copioso, vna cum spiritu vitali, sanguine, æger citò defecit. Aliis duobus eiusdem loci Aneurisma introrsum erupit, quos deficiētes ac morientes sanguinem minxisse ex relatu cognouimus. Quomodo autem subitò sanguinis in pectoris spatium effusus ad vesicam descendere potuerit, non caret magna admiratione.

Tonsori circa spinam in dorso enatum Aneurisma introrū quoque ruptum est, verū huic exiguum sanguinis ad os peruenit, cùm in terram decidens expiraret. In huius thoracis sinistram partem plurimus sanguis effusus fuerat.

In ostio ventriculi tumorem pulsantem quoque deprehendimus, quem cum imperitus quidam circumforaneus curandum suscepisset, multis vomitoriis ac helleboris instantum effecit, ut citò totus ventriculus in tumorem pulsantem conuerteretur. Intra huius vētriculi tunicas copiosissimus san-

sanguis collectus erat: & exterior quidem tunica admodum tenuis, interior verò supra modum crassa, plerisque locis rimosa, veluti in partes concisa, apparuit, pure circa rimas consistente.

In mesenterio natum Aneurisma tactu & admota ventri manu cognosci potuit. quod erumpens, subitaneæ mortis causa extitit.

Cui imprudenter pro vena, secta arteria fuerat, in brachio Aneurisma superuenit: sponte quidem hoc apertum est, sed fortuna fuit. Nam cum copiosus admodum sanguis profluxisset, in vulneris ostiolum aliquid, siue carnis, siue pinguedinis casu incidens ipsum obstruxit, sanguinisque fluorem repressit. Sed quid postea illi acciderit, ad nos non peruenit. Hinc obseruari potest, minus periculosum Aneurisma esse, cui vulnerata arteria occasionem dedit, quam quod à dilatata ortum habet.

*De pedis tumore, quem Arabes
Elephantiam appellant.*

CAPUT LI.

ADOLESCENS quidam circa xx. annos natus in sinistri pedis tumorem cum

cum dolore incidit: quo crassiore facto sura extenuabatur. Medici ac chirurgi de affectus genere parum conuenerant. ita XVIII. mēnsibus lecto affixus decubuerat, cùm ad nos curationis causa adduceretur. Remedia huic adhibita talia, qualia Auicenna ac Rhasis Elephantiæ ab ipsis dictæ adhiberi suadent. atque ita intra paucos menses sanitate pedis restituta, quo cunque libuit, ambulare ac ire potuit.

S C H O L I O N.

AFFECTVM hunc Arabes eorumque sectatores Elephantiam nominant. Differens verò à Græcorum Elephantiasi multūm est. Nam Græcorum Elephantiasis cutis fœditas ac vitium est, nequaquam pedis tumor: Elephantia Arabum, pedum est, cum nonnullo figuræ vitio, nimia crassities. Causa non aliquis quatuor humorum, sed ex optimo sanguine in idoneam ad corpus nutriendum substantiam humoriam conuersus, nondum tamen agglutinatus: quo ad pedem copiosius affluente crassior ac veluti tumidus redditur, superioribus partibus magna ex parte extenuatis; alimento nempe destitutis. Guido de Cauiliaco Chirurgus sua ætate celebris, cùm ad hunc affectum non ex aliquo 4. humorum gigni animaduertisset, additionem carnis esse existimauit; Elephantia, inquit, est additio carnis in pedibus ultra mensuram: addit verò, & in tibiis; quod quidem contingere posse quis negauerit, copioso

H admo-

admodum affluente alimento? Sed nobis partes superiores extenuari obseruatum. Atque hie quidem affectus, si ea ætate superueniat, quando aëtricis facultatis potentia desinit, curationem recipere potest, si idonea adhibeatur: ad minus, ut non augeatir crassities & tumor intendatur, arte effici potest: veluti in adolescente, de quo scripsimus. In iuuenili corpore vigente adhuc facultate auctrice, si copiosior huiuscemodi alimentarius humor ad pedes deferatur, non crassiores aut tumidos reddit, sed subinde quantitatem iuxta omnem dimensionem, forma haudquaquam vitiata, auger. Puella nondum nata annos x v. pedes maiores babuit, quam procula vlla mulier, interim optimè formatos, cruribus admodum extenuatis, adeò ut mole pedum grauata, molestum ei fuerit progredi. In prouecta ætate huiuscemodi humor ad nutritionem destinatus copiosior quam par est accedens, articulares & podagricos excitat dolores. Si verò & diutius influat, ordinem, ac situm ossium subinde perturbat, compagibus, ac vnitate partium dissolutis. Veluti anno sae cuidam feminæ accidisse recordainur. Hæc aliquanto tempore dolore pedis laborauerat; cum verò humores probi assidue affluere non desinarent, nec in pedis alimentum conuerti possent, tandem cutis vnitate articulisq. dissolutis, ossium tarsi ordo ac positus ita perturbatus, ut forma figuraque pedis vix vlla reliqua fuerit. Effluxit autem humor non saniosus, non purulentus, non foetidus, sed glutini & albidooui ferè similis, lentus

tus ac viscidus, ad pedis videlicet alimoniam destinatus. Crus verò huius supra pedem omnino extenuatum relictum est, veluti, de quo scripsimus, adolescentis. Atque vel ex hoc exemplo sat is constat, non vnum ex quatuor humoribus esse Elephantiæ huius causam, sed humorem probum ad alimentum partis destinatum.

De puerō sphacelo correpto.

CAPVT LIII.

PUER erat annos natus sex, cùm articulos digitorum & manuum & pedum sphacelus occuparet: qui sensim serpens supra genua & vtrinque cubitum peruenit. vbi autem hæc mortuæ partes decidissent, summanam siue extremam narium partem, & aurium alulas, ac lobos, siue fibras inuasit: morte paulò post subsequentे. Sic tandem miser puer mutilatis ac amissis membris periit.

De cordis palpitatione, cui & difficilis respiratione & alia grauissima accesserunt symptomata.

CAPVT LIVI.

HONESTVS quidam vir initio à cordis palpitatione malè habuit, aduersus quam usus est frequenter (in exigua tamen quantitate) confectione dicta Alkermes,

H 2 quæ

quæ cum lapide Cyaneo , vulgò Lazuli
nuncupato , componitur. hanc ea de causa
quocunque proficisci ebatur secum defere-
bat. Accessit tandem huic malo respiran-
di difficultas , quæ iacenti ac dormienti
maximè fuit molesta, sic ut quam primum
dormire incepisset , aut exiguo tempore
somnum accepisset , citò superueniens res-
pirandi difficultas eum mox excitauerit , &
erecta ceruice esse coegerit ; cum qua adeò
multi cōiuncti erant flatus, ut statim à som-
no , etiam cum strepitu quodam , per os
erumperet. Vsus multis variorum medico-
rum consiliis nihil profecit , qui aduersus
humorum ex capite destillationem reme-
dia adhibuerat. Tandem à trageinate (vul-
go dragea) quodam melius habuit. Quod
ex rosis rub. cinnamomo, glycyrrhiza, semi-
ne Coriandri, Anisi , Carui , & Ammios
erat compositum: quo à sumpto cibo vteba-
tur. Iacere & somnum capere tunc potuit,
sed non diuturnum fuit iuuamentum. Pau-
lo siquidem post respirandi difficultas cum
orthopnoea codem quo antea sese habue-
runt modo. Successit mox & circa ventri-
culi regionem durities: sub vitæ finem
etiā nigricans initio sputum, deinde cruen-
tum

tum, postea veluti semiconcretus sanguis. qualis etiam tribus à morte horis ex ore, quasi bulliendo, effluxit.

S C H O L I O N.

INTER causas palpitationis cordis referuntur & flatuosi spiritus, à crudis crassisque humoribus geniti; & ex hac causa exortas palpitationes dyspnœa & orthopnœa frequenter comitantur. Idcirco & omnis circa respirationem in hoc viro offensa, ad crudorum humorum copiam referenda videtur, à quibus flatuosi spiritus processerunt, per os cùm strepitu erumpentes. Sed sputum illud cruentum, deinde sanguis semiconcretus post mortem ex ore ebulliens, aliam videtur habuisse causam, ipsorum videlicet internorum viscerum erosionem ac corruptionem: & quidem ab importuno ac nimis frequenti (ut videtur) vsu confectionis Alkermes. Hæc etenim si in iusta quantitate detur, melancholicos humores expurgat: infra autem exhibita, cùm nullam expurgationem moliri queat, interiora viscera, si frequentius sumatur, vrit, exulcerat, & putrefacit. Sunt etenim & tales ipsius Cyanei lapidis (qui confectionis magna pars est) prauæ ac nocentes facultates: præsertim si non lotus vel malè lotus fuerit. Et vt cumque etiam saepius ac diligenter lauetur, omnem tamen suam prauitatem deponere non potest. Sicut enim vis eius expurgatrix lotione non perit, sic nec prauam ac exulcerantem eius facultatem lotione deleri

posse existimandum. Scriptum verò & de hac
cōfectione Stirpium Historiæ nostræ. Pempt. sex-
tæ, libri quarti, cap. quarto.

P A R E R G O N .

*De iis quæ in nonnullis morbis febrilibus
sub pedibus à recentioribus ligantur.*

NOVA sunt auxilia, de quibus scribimus,
& non modò veteribus, sed ne multis
quidem recentiorum medicorum satis vel
cognita vel probata: præsertim his qui à ve-
terum aut à præceptorum suorum traditio-
nibus ita toti pendent, vt vtile aut expediēs
aliquid à posteritate, præter ea, quæ vel
legerunt, vel audiuerunt, amplius nihil in-
ueniri aut excogitari posse, temerè existi-
ment. Sunt autem de quibus paucis agere
instituimus, illa, quæ pedū plantis in mag-
nis & ardentibus febribus subduntur. Du-
plicia autem hæc ferè sunt. Quædam enim
ad caloris contemperantiam adhibentur:
alia verò ad vapores vel etiam humores ca-
put ac cerebrum pctentes deorsum reuel-
lendos. Priora ex arta vel ex vulgaris usus
bolo, aut etiam ex luto potissimum vetere
& cratitiis parietibus adempto, cum aceto
& oui albo temperatis & mixtis constant;
additis quandoq; Lactucæ vel solani foliis,
aut etiam illorum succis. Et talia quidem
calo-

calorem pedum contemperant, & solamen quoddam ægrotantibus in acutissimis febris adferre videntur. Sed tamen non satis tutus horum est usus, refrigerando etenim calorem ad cor & interiora viscera repellunt, quod haud videtur expediens. Nam hinc deliria & grauissimi capitidolores, vel alia etiam grauia ac difficultaria symptomata quandoque sequuntur. Alia autem non repercutiunt, nec pedum calorem remittunt, sed magis intendunt; atque hoc modo ab internis visceribus & etiam ab ipso corde, vaporosos spiritus ac etiam calidiores humores, ac eos qui sursum feruntur, reuelunt. Ad horum genus pertinent brassicæ rubentis cruda folia, quæ nitrosa & abstergente succi sui facultate, attrahendi vim habent, præsertim si oleo aliquo illita ac deinde sale conspersa fuerint: sic & sapo cum sale permixtus brassicæ folio impositus, aut telæ lineæ vel alteri alicui illitus: Raphanidis item cum sale trita radix, sed odor huius mox valde grauis ac molestus: Chelidonium maius cum sale solo vel etiam cum sapone permixtum. Potentior autem omnibus his est columba, viuens in duas partes per dorsum dissecta & mox cū

sanguine sub pedum plantis diligenter ligata. Quæ non modò vaporosos spiritus ad caput ferri prohibet, sed & eo perlatos reuocat, atque sic grauissimos capitis dolores sopit, & deliria sedat. Quod frequentius experimètis compertum. Eodem etiam modò exanthemata erumpentia ad inferiores partes pertrahit: sic ut circa faciem ac caput pauciora, circa verò ipsos pedes plura proueniant. Liganda autem sub pedibus est columba, in ipsis febrium præcipuè exacerbationibus, vel paulò ante; pedibus interim calentibus: atque illic horis ad minus duo-decim sinenda: deinde adimenda, & in ahenum aquæ frigidæ mox abiicienda; ne odore sit molesta. Et præfertur ad huiuscmodi diuersionem columba reliquis vel volucribus, vel etiam animantibus: & quidē propter singularem ac eximiam quandam proprietatem humanæ naturæ grātam ac amicam, qua pollere videtur.

Non desunt verò & qui Tincas pisces sub pedibus in supra dictis affectibus ligent, nec etiam absque fructu, sed cum minore laborantium solamine, & cum grauiore ac molestiore foetore, quàm à columba. Minimis usus harum Paulus Ionius in libello suo

suo de Romanis piscibus, vbi licet huiuscemodi remedia, nonnullis visa fuerint ridicula, acutè tamen febricitantibus profuisse confitetur. Tincas, ait, scissas per dorsi longitudinem, pedumque & manuum plantis applicatas, ardentis febris ferooribus, plurimum aduersari quidam putarunt ex secta Iudeorum, qui quamquam folidi admodum, & ridentibus aliis talia experientur, aliquando tamen ipsis æstuantibus exoptata blandimenta feliciter attulisse cōpertī sunt. Non temerè anuum huiuscemodi remedia contemnenda sunt, veluti ab anu aliqua, aut agyrta, vel vespillone quoipiam reperta. Nam subinde & ab istis hominibus quædam inueniuntur, quæ deinde à medicis in artis operibus versantibus probantur: propter utilitatem quam ex eorum vsu consequi experiuntur. Neque enim refert quis qualisue sit remedij inuentor, sed quale illud sit, quod inuentū, cum iudicio & ratione est expendendum. Quod si tunc experientiae ratio accedat, non est cur reiici aut reprobari debeat, etiā à vilissimo repertū. Non enim ab inuentoris conditione aut laudandū aut reprobandū est remedium, sed ex facultatis ac viribus de eo iudicium faciendum.

ANTONII BENIVENII

FLORENTINI MEDICI AC

PHILOSOPHI MEDICINALIVM

OBSERVATIONVM

EXEMPLA;

Sive de abditis nonnullis ac mirandis morbo-
rum & sanationum causis, liber:

CVM ANNOTATIONIBVS

REMBERTI DODONÆI

MED. C A E S.

De morbo quem vulgo Gallicum vocant.

CAPUT I.

NO VVM morbi genus, anno
Salutis nonagesimo sexto su-
pra mille quadringentos à
Christianæ salute, non solum
Italiam, sed ferè totam Euro-
pam irrepit. Hoc ab Hispania incipiens,
per Italiam ipsam primū , tūm Galliam,
cæterasque Europæ prouincias latè diffu-
sum, mortales quamplurimos occupauit.
Incipiebant enim pustulæ genere diuersæ
in genitalibus membris, licet interdum,
sed rarer, in capite : & inde per totum
corpus diffundebantur. Aliis quidem pla-

nae

næ minimequé extantes, sed scabré tam
en in superficie, & colore subalbidæ: à
quibus squamæ resolutebantur, & caro sub
his corroso apparebat. Aliis varis similes,
figura rotundæ: & ab his item squamis le-
uioribus resolutis prominebat caro rubi-
cundior, ex qua virulétia fœtens & grauior-
is odoris profuebat. Nonnulli verò latio-
ribus corripiebantur pustulis, sed quæ supra
cutem non intumescerent, crassiores squa-
mas habentes: ex quibus etiam virulentia
copiosior emanabat, & amotis squamis ca-
ro apparebat obscurior ac subliuens, quæ
inulcerata roderetur. Quartum genus
erat, quod subalbidis squamis amotis cica-
trici simili remaneret, à quo profluens in-
terdum sanguis, difficultatem sanationis
ostenderet, & similitudine siccum scabiem
repræsentaret, cæteris omnino deterius: &
licet minus eroderet, serpendo tamen va-
riis & intentatis incidebat locis. Hoc au-
tem morbi genus plebè plurimum seruos-
que afficiebat, ex nobilioribus verò paucos.
Subsequebatur huiuscmodi pustulas, licet
etiam interdum præcederent, articulorum
dolores, qui non minore cruciatu torque-
rent, ac senescentibus iam pustulis pluri-
mum

rum inualcerent. Quod si medicamen-
tis compingentibus intrinsecum quis co-
naretur extrudere humorem, continuò ex-
ortæ pustulæ in gula & ore ægrotos malè ha-
bebant. Ex quo etiam nonnulli ob incu-
riam medentis mortem obibant: aut,
quod proximum est, erosis faucibus difficil-
limè sanabantur. Has autem nos Impetigi-
nis esse genera, quas Græci λειχῆνας vocant,
iudicauimus. Quem etiam morbum Pli-
nius, quodd ex accepto osculo mentum ve-
naretur, Mentagram appellavit. Huius ve-
rò & Celsus quatuor species esse dixit, ru-
bricam, scilicet, & nigram: tūm & quæ ser-
pendo procedit, & quæ item bullulas varis
similes habet. Materiam autem harum pu-
stularum diuersam quidem, sicuti & diuersa
sunt genera, iudicamus. Interdū enim acuta
humiditas sanguini mixta & erodens do-
minatur. interdum crassior, tenuiore parte
absumpta, & ad atram bilem versa. Non-
nunquam etiam atra ipsa insurgit bilis, quæ
ab acutiore humiditate non absoluuntur, &
cutem perforans carnem erodit. Pari quo-
que modo exusti humores ad naturam atræ
bilis inclinantes efficiunt: qui si densioribus
occurrant mēbris, quæ perforare nequeant,

figun-

figuntur ibidem, & dolores excitant vche-
mentiores, donec resoluantur, aut tandem
crumpant in pustulas: quæ etsi alioquin fœ-
dæ, & ad sanescendum difficiles, sine ullo
tamen dolore, vt atræ bilis natura est, infe-
ctos premunt. Ex quo fit, vt qui ciusmodi
afficiuntur pustulis, imperitis sese medicis
nonnunquam curandos tradant. Quibus
ægritudinis huius causas penitus ignorantibus,
dum inter mali initia compingentibus
vñctionibus illis mederi festinant, sæpe eos
aut in mortem, aut saltem in detriorem
vel etiam penitus in insanabilem compel-
lant morbum. Nam cum huic malo causæ
insint difficiliores, & quæ vix remoueri
queant, vt non sine magno labore, ita nec
sine diuturnioris temporis spatio sanescere
potest. Quare qui ex his festinam sanitatem
quærunt, morte plurimum, vt iam dictum
est, aut saltem diuturniore morbum nan-
ciscuntur. Si quis igitur huiuscemodi malo
vexatus, sibi ipsi citra omne discriminem con-
sulere, ac certam salutem acquirere cupit,
his vtatur medicamentis atq. consiliis, quæ
à nobis infra ponentur. Afferunt peritissimi
medici, si huiuscemodi morbus toto dif-
fundatur corpore, iisdem medicamentis
cura-

curationem suscipere, quibus & Leprā cū-
ratur. Quare cum iudicaueris sanguinem
his misceri humoribus, deducique eos cum
sanguine posse, optimum præsidium erit,
sanguinem illicē de vena media, quam Ni-
gram Medici vocant, mittere. Contrā ve-
rō si ineptos, & qui cum sanguine minimē
fluere possint existimaueris, æquare eos ac
deducere medicamento debes. Non in-
utile tamen fuerit hirudinem, quam san-
guisugam vocant, aut cucurbitulas ea parte
affigere, qua æger magis vrgetur. Præsidij
indigentiam indicant, habitus corporis, ru-
bor in loco, tumor venarum, & si pustulæ
sanguinolentæ sunt. Postea verò ad ea me-
dicamenta configiendum, quæ materiæ
partem deponant: quod certè felicius fiet,
si aluum duxeris eo medicamento, quod
habet myrobalanorum omnium partes
duas, radicis barbari partem vnam: aga-
rici, polypodij, singulorum partem me-
diam: succi fumi terræ, senæ, & vuæ passæ,
singulorum partem quartam. Quætudi-
cula attrita bulliant in aquæ libris sex, do-
nec quarta defecerit pars. Tum decolata
coimprimantur, & additis mellis libra,
scammoniæ vnciola, & siliquæ Ægyptiacæ
vnciis

vnciis duabus, paruo igne in vnam redigantur compositionem. De qua deuoret æger vnciolam mediæ. Demum aggredi debemus potiones materiam æquantes, ut ex fumo terræ, endiuia, aceto, saccaro, limonum citriqué acido succo. Aut eam, quæ habet myrobalanos omnes, fumum terræ, endiuiam, buglossam, melissam, borraginem, violas, absinthium, thame-rindum, epithymum, & rosam. Quibus additis succo fumi terræ atque saccaro, bul-liant, & ad potionis formam redigantur. Materia tandem æquata deducatur aluus medicamento potentiore, quod deponat humorem quem excernere volueris: sicuti sena, polypodio, albo veratro, lapide stellato, scammoneo, compositione filij Amech, Inda, & aliis multis quæ doctores extollunt: dummodo non obliuiscaris nutrire ea in lactis aqua: quæ siue in potione, siue buccella accipies, optimum & excellens auxilium inuenies. Verùm quia humor non vna tantum vacuatione secernitur, iteranda hæc sèpius erunt. Ultimo loco ea sunt aggredienda præsidia, quæ extrinsecus adiuncta etiam cōferre possint: vt in crassiore & glutinosa materia, quæ incident: in te-nui-

nuiore, quæ resoluāt: in media, quæ vtramque operationem concilient. Mollire interdū & dolores remittere opportunis præsidiis cōuenit. Hoc autem malum tollit acida pars citri, gummi arabicum, gummi nucis plurimæ, storax liquens, & sinapis, si aceto liniantur. Saliua quoque hominis ie-
iuni, præsertim quæ dentibus inhæretscit,
præsentaneum remedium est. Aqua sulphurea, aqua salita, & maris spuma, succus psyl-
lij, oleum ex frumento & ex violis, storax,
& pix, armoniacus, helleborum, gummi rutæ, litargyrium, tutia, resina pini, argenti
spuma, & cerussa. Serapion autem nitri par-
tes duodecim, sulphuris partes xiiii. exci-
piebat resina copiosa, cāque vtebatur. Alij
minio sinopico ceram & oleum ex rosa ad-
dunt, & eo inungūt. Nonnulli verò resinam
terebinthinam, argentum viuum, masti-
cem, litargyrium, cerussam, thymiamaque
excipiunt myrtino oleo atque larido: & eo
inungentes sudare ægros cogunt. Nec po-
stremò desunt, qui fateantur se ex solo po-
tu medicamēti, quod habet laccam lotam,
aloën, ac myrti coctionem, ex eiusmodi
ægritudine sanos euasisse.

A N-

ANNOTATIO DODONÆI

LVEM Venereum hunc morbum nunc rectius recentiores appellant, citra alicuius gentis inuidiam. Tametsi autem ab eo bello quod Carolus Gallorū Rex cum Alfonso Rege ad Neapolim ges- sit anno 1493. & 1494. plurimūm saeuierit, & tūc prīmūm natus videatur: nōnulla tamen, quē huius symptomata habentur, multò antè medicis cognita extitere. Nam & ab immundis ac sordidis mulieribus iam olim nonnullos vitia quædam contraxisse testātur Guilhelmus Salicetus, Bernardus Gordonius, & Valescus Tharantanus. quorum hic vixit anno 1418. Salicetus verò claruit circa annum 1270. Bernardus Gordonius medio tempore: omnes autem ante morbi Gallici aut Luis Venereę nomen orbi cognitum. Pustularum, ulcerum, similiūmque vitiorum circa penem ac p̄æputium ex congressu cum sordidis meretricibus aut immundis mulieribus, facit mentionem Caliceto Chirurgiæ suæ cap. 48. Gordonius Particulæ septimæ cap. 5. Galeucus libro sexto cap. 6.

Vermis vomitu projectus.

CAPUT III.

IOANNES quidam faber lignarius, annum agens quadragesimū, cùm à cordis dolore ferè perpetuò duobus iā annis graui- ter vrgeretur, ac propterea quod eo s̄epius

I in

in mortis discrimen adductus fuerat, peritissimos quosq. nostri scculi Medicos, sed frustra, consuluisse: tandem ad nos venit oratum, ut si quo modo possem, tanto malo succurrerem. Mouit me, fateor, cum res ipsa, quæ satis per se miranda videbatur: tum vel maximè viri lachrymæ, ac nimium miserabilis obscuratio! Cœpi itaque mecum cogitare, an id fortè ex malo habitu ventriculi, seu cordis, siue ille calidus frigidus sive esset, an siccus, simplex aut mixtus. Sed horum nullus certis indiciis ostendebatur. Cordis enim natura nobilis præstasq. tanto tempore huiuscmodi iniuriam non tolerasset. cum nullum ægritudinis genus imprimi in corde possit, quin hominem ad festinam mortem deducat. Opinanti igitur mihi malignam aliquam & noxiā materiam in ventriculo detineri: quæ, quod vicinus sit locus cordi, ad eius cervicem ascendens hominem afflictaret, visum est eam quoquo modo propellere. Quare medicamento vomitionem fieri iubeo. Eo et si corrupta ac putrens materia expellitur, non tamen dolor remittitur. Consulo igitur ut iterum vomitum experiatur: quem nihilosecius una intermissa diecula validior rem

rem exhibeo. Expulsaque eo est crassior pituita, & cum ea vermis longitudinis digitorum quatuor satis plenior, capite rubro, lævi, rotundoque, quod pisī magnitudinem non excederet: cætero corpore lanugine quadam conctecto, cauda furcata ad similitudinem nouæ Lunæ: pedibus nixus quatuor, duobus in dexteriorem, totidem in sinistriorem partem coaptatis. Admiratus vermis formam, medicis eruditioribus ostendo. Nullum inuenio qui monstrum simile se vidisse vñquam fateretur. Aderat tamen senior quidam, sed medicæ artis imperitus; qui testatus est similem se vidisse vermem vomitu quoque propulsum ab Alexandro quodam cœnobita: qui statim, vt ille aiebat, projecto eo, mortuus est. Vocitabat autem hoc monstrum cordis vermem. At contrà æger ille noster vt primum vermen ipsum euomuit, ad pristinam reuersus est sanitatem.

ANNOTATIO.

VERMES vomitione rejicii haud insolens est, nobisque nō raro vistum. Testatur & idē Amatus Lusitanus, Curatione quinta, sexta, ac decima, Cœturiæ primæ. Generari auté posse in vetriculo, vt amatus existimat, difficile fuerit affirmare: verisimilius est ex intestinis ad vetriculū peruenire.

Lapides in tunica hepatis reperti.

CAPUT III.

MULIER quædam nobilis, dolore ex-
morto circa iecinoris partes, cum diu
multumque angeretur, ac propterea quam-
plurimos medicos consuluisse, effugere ta-
men id malū nullo præsidio poterat. Quare
opem nostrā vnā cum aliis experiri placuit.
Conuenimus igitur plures medici, & quæ-
nam essent huius morbi abditæ causæ hinc
inde plurimo sermone discussimus. Verum,
ut cōtingere in rebus dubiis plerumque so-
let, sententia non conuenimus. Cum pars
iecinoris abscessum, pars malum habitum
indicasset; nos vero vitium in membrana
contegente inesse credebamus. At illa cum
inualesceente morbo paucis post diebus, ut
nos etiam ex certis indiciis pari cōsensu pre-
dixeramus, è vita migrasset, mortua corpus
incidendum curauimus. Et inuentæ sunt in
iecinoris membranulæ parte decliuiore
congesti lapilli, figura & colore diuersi. Alij
enim rotundi, alij angulares, quadrati alij,
prout positura & casus effecerat, maculis
etiam rubeis, cœruleis, albisque distincti.
Hi sua graviitate ex tunica sacculum longi-

tudine palnii, latitudine vero duorum digitorum effecerant. Hanc autem nos mortis causam arbitrati, disputare de obscuris va-
num & inutile iudicauimus.

ANNOTATIO.

IN vesica fellis subinde lapides reperiri contin-
git, ut infrà cap. xciii. dictum: verum laxio-
rem reddi membranā iocinoris, atque in ea calcu-
los dependere ex rarissimis est. Iecur autem, vel vna
aliquam eius partem indurari frequentius accidit.
Memini ego nonnullorum, qui ab Ictero in Ascen-
ten delapsi erant, iocinora vidisse, adeò dura & la-
pillis unde quaque plena, ut nouacula percindi nō
potuerint. Simile narrat & Andreas Vesalius in
Epistola de China ad Ioachimū Rælants de quo-
dam Belloarmato Senensi, cuius iecur prorsus cā-
dicans superficie constabat non læui, sed admodum
inæquali, & læuibus tuberculis exasperata:
anterior vero eius pars, & vniuersa sinistra admo-
dum lapidis indurata.

Fluxus sanguinis ex poro.

CAPVT. IIII.

Novi hominem robustum admodum,
qui xxxvi. agens annum, s̄epe mecum
conquestus est de certo sanguinis fluxu, quo
singulo quoq. mense grauiter afflictaretur.
interroganti mihi qua parte corporis flu-
ret, id se nescire respondit. Admiratus ho-

minis verbum: detege, inquam, locum vnde fluat. Deposito pallio ilia dextra ostētā, vbi subiacet iecoris pars ima. Diligenter locum oculis lustro, si foramen aut cicatrix in parte sit: omnia æquabiliter posita, lenem & mollem carnem, nullam asperitudinem cicatricis uē notam inspicio. Ab homine decipi suspicor. Quod ille aduertens, paucis, inquit, diebus hūc tibi scrupulum demam. Instat enim tempus quo sanguis fluere consuit. Reuersus perendie vno superposito dīgito locum fluxus contegebāt: quo amoto, non secus emanauit sanguis, ac si ex incisa vena proflueret. Nec prius fluor ille cessabat, quām sanguinis libra emitteretur. Quo euacuato, nullus discernere poterat, vnde euacuatio facta esset. Existimabam venulam foraminibus cutis sua ceruice inhæscere, indeque statō tempore sanguinem euacuari. Curaui itaque hominem sola sanguinis missione ex vena iecoris singulo quoque mense. Curiosoque vietu iniuncto, protracta cura est ad sextum usque mēsem, & tandem conualuit.

ANNOTATIO.

SIMILE exemplum & inter Rara Iacobi Hollerij habetur: Nouimus, inquit, quendam, cui è reli-

è regione hepatis vena per interiualla dehiscebat, quæ sanguinem funderet. Restitante sanguine vestigium non apparebat.

*De vena umbilici, & ex vulna
prolapsa intestina.*

CAPUT V.

MULIEREM vidi in sexagenariam, cuius intestina ex vena umbilici subito prolapsa sunt, nullo praesidio conferente, tertia die vitam finisse. Vidimus & aliam, de cuius vulna pariter disrupta intestina omnia profluxerant, paucis item diebus occubuisse. Insuper & tertiam nouimus, cuius intestina, perfracta eorum tunica, à summa umbilici cute tanquam in sacculo depédebant in vulnem. Hæc autem miseram quidem, sed tamen longiorem vitam dicens, vñà cum hoc malo consenuit.

ANNOTATIO.

PROLAPSIS extra locum suum intestinis, subinde grauissima ac molestissima subsequuntur symptomata, nec raro ipsa mors. Hoc casu procurandum & laborandum est, ut quam citissime intestina à fecibus liberentur: alioqui in locum suū non aut difficillimè reducenda. Optima ac tutissima sunt enemata, & quidem non vehementissima, sed benigna ac mitia. Ita sæpenumerò fecibus eductis, & ab excrementis intestinis liberatis, faci-

litis in suum locum reponi possunt. Per os medicam enta purgantia a sumere non adeò tutum: excrementa etenim deorsum propellunt, & in intestina, quæ excidere, impellunt. Si quid per aluum descendit, id sanè tenue ac liquidum, quod inter duras feces sibi alicubi viam inuenit, duriora crassioraque hærent. Intestinis autem amplius repletis, tum or major sit, dolores augmentur, & reponendorum horum minor spes affulget: accedunt graues molestie, & non modò bilis aut pituitæ, sed & non raro fecum & alii excrementorum vomitus. Cùm enim nec descendere queant, nec ab intestinis retineri, ad ventriculum regurgitant, & vomitione reiiciuntur. O dura sie morientium conditio. Exempla, vel corū qui enematum usu melius habuerer: vel his neglectis contemptisque, aut ab epotis purgantibus medicamentis miserè perierunt, possent adferri plurima: sed quia iis, qui in quotidiano artis usu versantur, hæc haud sunt incognita, omnino duximus prætermittenda.

Vmbilicus prominens.

CAPUT VI.

COMMUNE omnibus, vmbilicum ad decorē prominere; monstruosum, si prominat ultra quam decēs sit. Ioannes Binus filium habuit octimestrem, cuius vmbilicus digitis quatuor excrucierat ad penis similitudinem. Coles enim testiculorum tunica iunctus videbatur: à quo etiam spiritus erum-

erūpebat interdum. Hunc cùm plures me-
dici inuisissent, & ex his alii intestinū eò erū-
pisse iudicarēt, alij omentum, alij humorē,
nō carnem in loco increuisse dicebamus.
Cui sententiæ cum pater inhæsisset, puerū
curare ccepi. Sed quòd autoritate eorū mo-
uebar, qui propter spiritū, quē inde erū-
pere interdum diximus, intestinum illud
esse dicebant, resecandāne mihi esset caro
illa, & idipsum ferrōne an igne potius facie-
dum, plurimum addubitabā. Verūm certa
tandem ratione subnixus, vincire carnem
decerno: singulisq[ue] diebus arctius deli-
gans, non prius desisto, quām ea ipsā præ-
mortua penitus exciderit, ac puer subinde
integralm valetudinem recuperauerit.

ANNOTATIO DODONAEI

ADVERSVS prominentem in pueris vimbi-
licum bene facit emplastrum diapōpho-
lygos, quod resiccandi ac refrigerandi potentia ip-
sum reprimit, ac tandem subsidere facit.

Ex ano euacuata urina.

CAPVT VII.

QVIS miretur si audierit quod & nos
vidimus, puerum, scilicet, duodeci-
mum agentem annum, cum vrinam septi-
mo iam die non redderet, propterea quòd

I 5 con-

concretum quid ex pituita & sanguine, vrinæ ipsius canaliculos obstruxerat, eam tandem ex ano cuacuasse. Præsertim si nouerit & vesicam ipsam ceruicemq. cius minimè foraminulentam aut fungosam existere, & intestinum quod penetrari debuit, solidè ac concretæ esse naturæ, ut decet tunicas omnes quæ neruofæ sunt. Oportuit enim aut incisam vesicam intestinumque, quod citra mortem fieri nequit; aut naturam, cui impossibile nihil est, huiuscemodi aperuisse vias, ut inde vrinam redderet, puerumq. seruaret. Nouimus enim miranda eius opera: nam & purulentum quid etiam ossi subsidens extrinsecus trudit, & hominem certis indiciis moriturum sæpius liberat. Vnde & militem vidimus, cui illatum vulnus in coxam, vesicæ ceruicem inciderit: ac subinde incuria medici adeò conglutinatum obcalluit, ut penitus iter vrinæ obstruxerit: sed ea nihilo secius carne paulatim erosa, coxa altera extrinsecus erupit. Inde q. quo ad vir ille vixit, ritè profluēs, reddita est. Sed Pauli Bonini filium nouimus, qui glande colis clausa natus, paulò infra eam itinere patefacto vrinam reddebat.

Mu-

Mulier à spiritu malo oppressa.

CAPUT VIII.

ACCIDIT his temporibus nouum & admirandum morbi genus: quod etsi viderim curauerimque, scribere tamen vix ausim. Mulier XVI. agens annum ab imo ventris parte dolore exorto, conuellere manus nitebatur. Cumq; in horrendum clamore eruperet, intumescebat illico totus veter, adeò ut vterum gestare crederes octimensem: & voce exhausta ubi toto cubili hinc inde reiectans sese, & plantas pedū interdum ceruici connectens resiliebat in pedes, iterum procidens ac resiliens: isthuc ipsum identidem factitabat, quoad paulatim ad se reuersa quoquo modo recrearetur. Interrogata quid egisset, penitus ignorabat. Nos verò eiusmodi morbi causas disquirentes, arbitrati sumus hoc malum ex vuluæ ascensu & vaporibus malis sursum elatis, & subinde cor ac cerebrum impetibus prouenire. Quare idoneis medicamentis adhibitis, cùm nihil omnino profecissent, non parum mirati sumus. A recta tamen via minimè desistendum putauimus, donec ferior facta ac toruis oculis circumspiciens, tandem

dem prorupit in vomitum, quo longiores
& recuruos clausos, æneasque acus vñā cum
cera & capillis in globum mixtis euomuit:
& nouissimè ientaculi frustum tantæ mag-
nitudinis, vt deuorare integrum nullus po-
tuisset. Cumque idipsum sæpius etiam vi-
dente me factitasset, teneri eam arbitratus
sum spiritu malo, qui dum hæc ageret, spe-
ctantium oculos perstringeret. Quare spiri-
tualibus medicis commedata, manifesto-
ribus dein signis & argumentis rē compro-
bavit. Nam & nos sæpe eam vaticinantem
audiuimus, & ea præterea agētem vidimus,
quæ omnem vim morbi supergressa huma-
num etiam captum excederent.

Sanatum genu miraculo evidenti.

C A P V T . I X .

ROBERTVS Saluiatus Bernardi filius,
& Diui Dominici fratribus consortio
iunctus, dum in monasterio Sancti Mar-
ci Florentinæ ciuitatis vitam degeret, ge-
niculi dexteroris abscessu grauiter afflige-
batur. Quare me familiari medico accersi-
to, malum ostendit. Intumuerat enim ge-
nū, tantumque eleuabatur, vt humani ca-
pitis magnitudinem æquat. Notæ pitui-
tosum

tosum & vapore plenum ostendebant. Hic chirurgica manu curatus, bis iam sanitatem fuerat consequutus. Reuertebatur tamen id malum priore peius. Quare iudicauimus huiuscemodi ægritudinem, ubi iam inueterasset, nullo modo citra vstitutionem finiri posse. Territus ille iudicio nostro, ac propterea medicæ artis spe deposita, ad diuinum confugit auxilium. Erat eo tempore in eodem monasterio vir simplex & bonus, fide & charitate pollens, Dominicus Pisciæ oppido ortus, & eiusdē religionis professor: per quem Deus plurima iam signa fecerat. Hūc igitur Robertus ipse conueniens, miserabilibus primum lachrymis & precibus orat, ut sese suis apud Deum orationibus liberet. quod cùm ille pro sola humilitate abnucret, instat iterum Robertus: nec prius à lachrymis & importunitate desistit, quam Dei hominem flectit atque exorat. Celebratis itaque ex more ac peractis missarum solennibus, cum ad Robertum ipsum, qui solus celebranti illi ministrauerat, conuersus fuisset, geniculum detegit: & signo Crucis super manum impresso: fiat, inquit, tibi secundum fidem tuā. Quibus verbis omnis prorsus intra pauculos dies delituit ægritudo.

do. Quod & nos non solum vidimus, sed & propriis (ut aiunt) manibus attrectantes, geniculum ipsum detumefactum ac penitus sanescens inuenimus. Et ne quis non omnino virtute diuina factū putet, hic iam septimus est annus, ex quo ille sanitatē adeptus, eam seruauit & seruat ope & auxilio illius, qui solus omnia potens, viuit & regnat in secula.

A N N O T A T I O.

ALEXANDER Benedictus Historiæ humani corporis libro primo, cap. xiiii. ex vulnerato genu cornu enatum refert, quod & admiratione haud caret.

Miraculo liberatus.

C A P V T x.

IVVENI S quidam Florentinus, nomine Gaspar, dum circa præcordia sagitta vulneratus spiculū educere nititur, relicto mucrone arundinem tantum euellit. Quem cum chirurgici, omni licet ingenio, omnique præsidio nixi, auellere minime potuerint (in intima enim costa adçò insederat, ut reuelli nullo auxilio posset, nisi costa ipsa perfracta, & vulnere ampliore facto) mortem potius quamlibet miserabilem, quam tale

tale genus curationis subire malebat. Quare tandem in desperationem versus, laqueo suspendere se, aut profluenti Arno, vel alto puteo præcipitem dare cogitabat: quod & fecisset, nisi assistentes amici illum diligenter custodissent. Inter quos erat vir quidam Marioctus nomine, fide & probitate pollens: hic hominem iugiter deprecatur, ut desperatione reiecta, in manus potius Dei, à quo est omnis salus, tam grande malum tradere conaretur. Huius tandem precibus flexus Gaspar, totus ad Deum cōuertitur, non die, non nocte ab oratione cessans: donec in vaticinium prorumpens, nō nullos interim, qui ad eum visendi gratia accederent, dum adhuc procul essent, paullò post ad futuros prædiceret. Quin etiam & ignotum quemlibet proprio quoque nomine citans, admonebat astantes omnes ut Deum timerent, & de salute sua considererent. Se enim non modò de ea, de qua die & hora qua illam consequi deberet, certiorē factum esse, sed multa præter ea eodem lumine præuidisse aiebat: ut profectionē suam Romam, & mortem exilium Petri Medicis & fugam ciuitatis nostrae Florentinæ angustias & calamitates; Italæ subuersiones, & alia

alia quamplurima, quæ breuitatis causa silentio præterimus: quæq. ferè omnia magna ex parte impleta iam videmus. Nam & quæ prædixerat die atq. hora, mucro ipse ex vulnero sponte sua profiliit: quo eiecto etiā vaticinari destitit, & Romam tandem peregrè proficisciens mortuus est.

ANNOTATIO.

REFFERT & Alexander Benedictus exempla duo superiore non minus rara aut admirabilia. Vnum de rustico, qui in dorso vulnerum cum telo acceperat, cuius ferrum, quod intus hæserat, biennio post per alium descendit, Hist. hum. corp. lib. IIII. cap. IX. alterum de Græco, qui teli partem sternutatione eiecit, quæ in vulnero à tempore accepto XXV. annis latuerat. eiusdem Hist. lib. IIII. cap. XXXIIII.

*Mulier vulua carens vixit
annis decem.*

CAPUT IX.

INGENIOSVS nostri seculi medicus Ugolinus Pisanus me licet iuniorem aduocandum censuit: ut vñà cùm illo mulierem quandā curaremus, quæ vuluæ perniciose vlcere vexabatur. Huius nos malitiā omni studio & diligētia tollere, sed frustrā, conati sumus: nam corrupta interim vulua,

&

& frustulis cōminuta descendens, non prius fluere destitit, quām tota putrescens decideret: ac sic mulierem ingenti malo liberavit, quæ licet vulua carens, sana tamē superuixit annos decem.

A N N O T A T I O.

VULVAM siue vterum, in quo fœtus concipiatur ac gestatur, corrūpi ac exulcerari quādoque contingit, ac deinde vicinas partes infici: vesicam quidem ut cap. XXXIII. Exemplorum nostrorum narratum est: nonnunquam verò & rectū intestinum. Atque tunc quidem excrementa alui per pudendum tandem excerni contigit. Quemadmodum mulieri cuidam accidit, quæ posteaquā diutino tempore purulenta fœtidaque, manifestissima exulcerati vteri signa, per pudēda excreuisset, postremò & alui excrementa per eundem locum demisit. Ita autem corrupti vterum, ut nulla vicina parte infecta aut lēsa, tota exciderit, non immetitò inter rarissima naturæ miracula refertur. Memini verò & mulieri cuidam vterum prolapsum, totum foras ad humani capitis magnitudinem pendisse, ac sic hanc aliquot annis miserè vixisse.

Aqua inter cutem.

C A P V T X I I .

AQVA inter cutem cùm vehementius urgeretur puer: tantaque intus contraria esset, ut aluum nullā in partem moue-

K re

re posset, omni auxilio medicorum destitutus, temerariam sibi libertatem vendicauit. Quare aqua quantum poterat cœpta, in ultimum se se' mortis discrimen male sanus præcipitauit. Verum siue id aquæ contrariae impulsu, siue ope naturæ factum sit, soluta est vmbilici vnitas: indeque tanto impetu aqua profluere cœpit, ut supra ventricem cubitos tres ascenderet. Quo sanguinem vitam finisset, nisi circum assistentes opposita manu aquam fluere non permisissent. Hinc medico accersito, & aqua paulatim educta, ac curioso victu, & cæteris quæ ad rei facerent iniunctis, breui tempore in pristinam redactus est sanitatem.

Rusticus per annum nihil bibens, ab aqua intercutem liberatur.

CAPUT XIII

RVSTICO, quem aqua intercutem male habebat, opem nostram expostulanti, sanari illum, cum iam morbus inueterasset, minimè posse respondi. Instanti tamen ut aliquid saltem consilium ei præberemus, subridens, inquam, amice si curari desideras, opus est ut non ultra bibas, quam ut vita sustincas. Discessit: & anno peracto iterum

rum interrogat an ipsum nouerim. Nego
me hominem nosse. At ille, tua ope cura-
tus, inquit, ad te reuertor, scire cupiens an
adhuc mihi liceat aliquid bibere: cum ha-
ctenus per annum nihil biberim. Admira-
tus interrogo quare, & cuius consilio. Cui
ille, inquit, tuo: & rem omnem ab initio
narrat. Iussi igitur paulatim vino assuescere:
sed mero potius quam lymphato, & eo ipso
austero ac tenuissimo. Discessit, & curiosa
potione usus, ad pristinumque reuersus sta-
tum, quam mecum familiaritatem primū
contraxit, eam adhuc in hanc usque diem
officiosissime seruat & colit.

ANNOTATIO.

HYDROPIA, hoc est, aquosi humoris collec-
tionis, duæ sunt species: Hyposarca & Ascites; in Tympanite siquidem flatus colliguntur. In
Hyposarca per naturalis caloris debilitatem & im-
potentiam pituitosior, hoc est, crudior ac frigidior
sanguis gignitur, qui per venas in corpus distribu-
tus, ipsum tumidum reddit, & albido pituitaque
emortuo colore pallens apparere efficit. In Ascite
verò intra peritonæum præcipue humor colligitur,
venterque distenditur. Hyposarca rusticum labo-
rassè verisimile est, & crudis frigidisq. humoribus,
per potus abstinentiam à natura cōcoctis, & in san-
guinem conuersis, tum & vitam eum sustinuisse,

k 2 tum

tum & sanitatem recepisse. Puer autem potuit Ascite laborasse, non tamen ex refrigeratione, sed ex calida nimium, & siccâ locinoris intemperie, quam grauiter quandoque lecur afficitur, ut probû sanguinem non cōficiat: velut in hydrope quę acutos morbos subsequitur, teste Galeno lib. vi. De Locis affectis capite primo. Aduersus huiuscemo- di Hydropen aquæ potio remedio esse potuit, iocinore videlicet refrigerato & humectato, si modò recens nata fuerit: Nam diuturnæ Hydropses incurabiles habétur, diuturnitate mali locinore aut lieue corrupto ac vitiato. Succedit auté non rarò acutis morbis Ascites, & frequenter etiam Ictero. Cōtingit autem non rarò in hoc Ascite, diffusis per vniuersum biliosis humoribus, calorem subinde tantum excitari, ut quacunq. corporis parte scalpta leuiterque cute vulnerata, mox calidus, niger, & quasi adustus sanguis effluat. Cæterū Hydro- pis per aquæ potionem curatæ extat & exemplum lib 2. Epist. Iohannis Langij, Epist. xii. Vxor, inquit, barbitonoris in Nouoforo, Palatinorum in Noricis oppido, plus sibi ipsi quam marito aut medicis mori- gerâ, cuius venter hydrope in immensum turgebat: hæc aquam de fonte scaturiente magnopere fitiebat. Progres- sa itaq; marito inscio extra urbem ad fontem, in quo cum aquæ scaturagine simul arena ebulliebat, de qua quantū manu causa apprehendere potuerat, ter aut qua- ter deuorauit. Domū lata reuersa, rem omnem nobis re- censuit: & intra biduū, per fluxū vētris plurimū, pirui- tæ excreuit: apertis quoq. sua spōte in ano mariscis, vnde cōfertim sanguis niger effluebat, ab Hydrope conualuit.

Stru-

*Struma ingentis magnitudinis
& ponderis.*

CAPVT X I I I.

MULIEREM Oliuam nomine, struma coxae innata multos annos miserabiliter vexabat. Ad eam enim iam magnitudinem extreuerat, ut occupante ea coxam ipsam ac crus, ambulare non posset. Quo factum ut iam quinquennio misera in lecto iaceret. Nec ex medicis ullus inueniebatur, qui aut ferro aut alio quoquis medicamento tollere tam ingens malum auderet. Quare omni spe destituta, me cum iunior adhuc essem, ad se vocans, operam nostrā deposit. Lachrymis vrget & precibus, ut quamlibet misérabile, aliquod tamen ei præsidiū afferam: mori se malle quam in tanta miseria & calamitate vitam ducere. Mouerūt me, fateor, infelicitis mulieris lachrymæ: ac propterea rem sanè arduam, & quam nullus qui saperet attentasset, aggressus, strumam ipsam ea potissimum parte, qua coxa pendebat, vinculo deligo. Et quoniam resecanda crassitudo palmo plenior erat, singulis quibusque diebus vinculum ipsum arctius necto, donec pars media resecaretur. Tum

K 3 can-

candenti ferro quod superest scindo: sanguinem supprimo, & mulierem ferè mortuam resumens molli cubiculo recreo: accuriosa dein obseruatione, idoneisque medicamentis ritè procedens, diuino tandem auxilio eam in pristinam sanitatem reduco. Tanta autem fuit præcisæ carnis moles, ut pondus sexaginta librarum excederet.

*Ex frigidissimo emplastro stomacho
ad moto mors subsecuta.*

C A P V T . x v .

Novī Medicū, qui vel incuria, vel magis, ut arbitror, inscitia, emplastrū frigidissimum stomacho cuiusdam viri, dum illum ventriculi dolor satis mordax urgeret, superposuit. Putabat enim hoc auxilio dolorem ipsum tolli posse. Verūm ille dolore ferè amoto, grauem tamen noxā percipiēs, redeunti medico exponit dolorem quidem remissum, se tamen inspirandi difficultate vexari. Quod inscius medicus paruifaciens iterum emplastrum admouit: & ne tollatur etiam iubet. At æger, dum assistentes imperata faciunt, paucis interim horis singulū premitur: quo grauius grauiusque hominem afflante, inhorrescunt illi membra:

ex

ex quo etiā paucis interceptis diebus mōrs
subsequuta est. quam medici omnes ex in-
cuso stomacho frigore prouenisse iudica-
uerūt. Ignorabat enim bonus ille medicus,
nullum princeps aut principi subseruiens
membrum solis frigidis esse curandum.

*Ex frigidissimo aquæ potu vir
interimitur.*

C A P V T X V I .

ANTONIUS Parmensis iuuenis admo-
dum robustus, cum sub feruentissimo
sole, & magni æstus tépestate pluribus die-
bus in itinere fuisset, ardentissima tandem
febri correptus est: quare cum vehemens
eum sitis vrgeret, frigidissima aqua epota,
intra paucas horas mortuus est.

Defectio ex frigidissimi vini haustu.

C A P V T X V I I .

BLASIVS Senensis familiaris noster &
condiscipulus, dum longiusculo tempo-
re sub ardētissimo sole pilæ lusu incaluisset,
nec sudore adhuc aut fatigatione remissis,
in subterraneū locum, ubi vinaria erat cellu-
la, descendisset, frigidissimi vini calicē hau-
rit: quo epoto statim deficit: indeque, vt

K 4 erat

erat fere præmortuus ad cubile delatus, ac calidis vtcunq. fomentis, sed non sine gravi noxa tandem, licet ægrè, refocillatus, conualuit. Frigidissima enim potio altius cordi insederat.

A N N O T A T I O.

Non modò ex frigidissimæ aquæ potu, aut frigidissimi vini haustu, periculum iis imminet, qui vehemēter super calfacti sunt: sed & ex frigi lactis, cui ademptum est butyrum. Nam hoc ipsum in ventriculo malè affecto, etiam facilè concrescit, ac deinde molestias excitat. Vir quidā posteaquam à febri, qua aliquot diebus laborauerat, sibi liber videretur, ac carnes vesperi cum aliis coctas edisset, postridie magnum haustum, circiter libram videlicet, lactis huiuscmodi frigidi iejunus bibit, sperans aliuū (vt alias assölet) inde laxioram futuram. Id cùm non succederet, & molestis torsionibus ac doloribus circa vetriculum torqueatur, digito gutturi imposito vomitionem excitat: cum qua duæ lactis concreti magnè partes excretæ sunt, pro numero haustum quos sumperferat. Nam bis se bibisse affirmabat. Ac sic à doloribus circa ventriculum liber factus, à frigi huiuscmodi lactis potionē deinceps abstinuit.

Religiosa quoque quædam cum febricitaret, & huiuscmodi lac quoque non coctum bibisset, aliquot diebus circa ventriculum pondus ac molestum dolorem sensit, qui non prius cessauit, quam difficiili vomitione superueniente, & multis lactis

con-

cōcreti durioribus particulis vnā redditis, quibus reiectis melius habuit. Tantum malorum lac etiā cui ademptum est butyrum adferre potest, si in vētriculum incidat calidiorem, vel aliena qualitate imbutum, vel prauorum alimētorum reliquiis infectum. Corrumpitur verò & in huiuscemodi vētriculo lac purum, ac in grumos coīens, molesta symptomata non raro ad fert.

Erosum capit is os.

C A P V T X V I I I .

QVIDAM Monachus ordinis Beati Augustini, ex his quos Canonicos regulares vocant, dum in monasterio Diui Donati, quod vrbi nostræ prominens Sco-petum dicunt, vitam agret, semel mecum cōquestus est, affirmans capit is eius os paullatim indies erosum iri: quod miratus, caput detego, manu diligentius cōtrecto, frōtem ferè totam osse denudatam inuenio: & quod maius est, nullam in cute summa, nullam in carne noxiam aduerto: rci causam queritans, iudico acutissimo humore hoc fieri, qui foraminulenta carne demissus nullam in ea vim faceret. Os verò, quod densius, ac propterea magis obsistens, eroderet, non secus ac fulgur, quod aurum, illæsis interim loculis, nonnunquam liquare solet.

k 5 At

At Monachus ille, cuius maioriam ossis ipsius pars esset erosa, & nullo proficeret auxilio, paucis annis vitam finiuit.

ANNOTATIO.

OSSA capitis erodi frequenter contingit sub ijs tumoribus, qui iuis Venereæ symptomata habentur: quorum plerique ad Atheromatum, alij ad Meliceridum naturam accedunt. Quisi diu incurati permáserint, os quod subest corruptitur, ac cariosum redditur. Alexander Benedictus nō modò corrupti, sed & exemplum refert in osse abscessus nati, Hist. huma. corp. lib. primo, cap. vi. Osса corrupti nouum, inquit, non est: sed abscessus innasci mirum est, vt nuper vidiimus, dum mulierem quandam Gallico morbo interemptam resecaremus, causam morbi perquirendo, ossa sub membranis suis integris tumentia, & ad medullā usque suppurata inuenimus, ea dumtaxat ratione, quoniam & ipsa nutriuntur, abscessibus ob id afficiuntur.

Lapis ex intestinis ejectus.

CAPUT XIX.

MARIOTTVS Palla Pharmacopola cum intestinorum dolore vexaretur, eiusque venter nihil ferè, & id quidem ægrè atque liquatum redderet, pluribusque hominem medicamentis aluum ducentibus & clysteribus curassent medici, & morbus nihil-

nihilominus inualesceret, ad aliud auxiliū genus conuersi, totam ipsius aluum humidis fomentis emolliunt: nec prius ab incepto desistunt, quām ille sic fortis lapidem instar columbini ouia aluo proicit: *Qui quidē lapis intestino subsistens, & iter magna ex parte obstruens; licet ideo deduci non posset, quod intestino tunicisque eius deligatus esset, vel quod ipsius crassioris intestini aliqua fortem inhaeresceret cellula, medicamentorum rāmen preſidiis, & expultrice adiuuante virtute tandem propulsus est.*

ANNOTATIO.

LAPIDES ex intestinis teiecli meminit Galenus lib. vi. De Locis affectis: *Scribunt nonnulli (inquit) quod à forti excernendi conatu, præcedente dolore vehementi, aliqui lapides callosos deiecerunt, iis qui in vesica nascuntur haud absimiles. Id quod ego neque vidi, neque alium qui viderit vñquam audiri.*

*Aerea acus perforato stomacho
extrinsecus truditur.*

CAPUT XX.

DE VOR AVERAT mulier quædam Æncam acum, & nullā inde noxa percepta, integrum annum ita ut erat, sana permāsit: Quo peracto cœpit dolor satis acutus mulie-

mulierem ipsam circa ventriculum vrgere: qui dum eam magis magisque indies affligeret, plures consuluit medicos: nihil tamē de deuorata acu, quam penitus obliuioni tradiderat, referens. Variæ fuerunt hinc inde sententiæ. Alii enim ab acutiore humore, alij à vento inter tunicas stomachi recluso, cæteri verò ex malo habitu excitari hoc malum putabant. Cumque omni quo poterat studio & diligentia curata, sanitatem nullo modo consequi posset, medicæ artis spe deposita, tolerare id malū satius duxit, quam perpetuis medicamentis inaniter vexari. Sicque annis iam decem, tali vrgente dolore, miseram vitā trahebat, cùm ecce acus illa terebrato ventriculo, è paruo demissa foramine, profiliit. Nos autem & acū vidimus, & mulierem curauimus: quæ paucis pòst diebus, vnitate vulneris facta, in pristinam sanitatem restituta est.

A N N O T A T I O.

Huic ferè simile est, quod apud Alexandrum Benedictum exemplum legitur de acu crinali cum vrina reddita, Hist. huma. corp. cap. xiiii. lib. v.

Accedit & huic quod Ioannes Langius Epist. quadragesima lib. 2. refert. *In ginacio*, ait, *Ducis Iulia-*

Iuliacensis virgo dum sese adornaret, perterrita, ingemiscens, acus quinque, quas in ore mordicus tenebat, deglutiuit, & per vrinam illæsa easdem reddidit.

Ob incuriam à lepra liberatus.

CAPVT XXI.

ME M I N I Onofrium Tedaldum pro mortuo à medicis derelictum incidisse in manus nostras, non quidem ut curaretur (id enim factu impossibile videbatur) sed ut satis amicorum opinioni & ægro ipsi fieret. Lepra hominem malè habebat: & febricula insuper vrgebat. Quam, quod solitas animalis partes occupans quasi habitū inducat, Græci ἔθιμον vocant. Tantumque inhæserat solidis membris hæc febricula, ut macie & tābe consumpta carne, nihil nisi pellis & ossa supererent. Quin & in neruis crurium tanta idem contractio facta erat, ut calcis natibus inhærescentes extendi nullo modo possent. Indulgens itaque hominis voluntati, permitto ut omnibus omissis legibus suo arbitrio viuat. Aduentante igitur vere, cùm iam nux prima tenuiore cortice vestiretur, his vesci coepit. Et cū omne aliud cibi genus fastidiret, nō vna alterāue cōtentus, etiā supra centū singulis diebus cōcedebat, pane licet modico adiecto. *Quo factū*

vt

vt & venter flucre cœperit, & stomachus ni-
hil cōtinere: sicque frustula integra deiici, vt
cōcoctio in eis nulla appareret. Hoc itaq. in-
curioso & licentiore victu vsus, ad æstatem
vsque processit. Quo tempore Citrullos,
Angurias, Peponesque comedens, nullum
præterea cibi genus deuorabat: sed & ea
cruda & incocta omnia deiiciebat. Peracta
autem iam ferè æstate refici cœpit, & cor-
pus quoquo modo resumptum ad habitum
suum reuertitur, quoad siccō & calido mor-
bo humidis & frigidis præfidiis superato,
quem ratio & diligētia curare non poterat,
incuria & temeritas ad pristinam redigeret
sanitatem. Qua biennio feliciter vsus, incu-
rioso postmodum victu, & inutili libertate
in eundē recidit morbū. Quo demum ab-
sumptus, paucos post annos è vita discessit.

A N N O T A T I O.

Evit quoque & admirabili fortuna ab Ele-
phantiasi miser ille liberatus, cui messores vi-
num exhibuerunt, in quo vipera mortua erat. Ra-
ti etenim expedire huic mori potius, quam in illa
miseria viuere, remedium contulerunt, à quo sa-
nitatem recepit, de quo Galenus lib. xi. De Simp.
med. facultatibus.

Vlcus

Vlcus menti sanatum dentis euulsione.

C A P V T X X I I .

I V V E N I s quidam Angenius nomine, annis iam tribus menti vlcere vexabatur: qui licet opera compluriū medicorum usus fuisset, tantum absuit, ut non deprehendebat illis morbi causam sanitatem consequi potuerit, ut penē omnem recuperandæ valetudinis spem amiserit: dum scilicet, ex his nonnulli, quod altū & callosum vlcus viderent, citra vstitutionem nequaquam tolli posse affirmarent. Atque item alij, quia callosa haberet ora Chironium vlcus crederet, & ob id curatu difficultimum arbitrarentur. Nos verò ut primū hominem vidimus, & vlcus conspicati sumus, nullis id malum medicamentis vinci posse prædiximus: nisi eo prius eruto dente, ad cuius radicem vlcus ipsum ascenderet. Id quod res planè indicauit: nam dente ipso euulso, erosam eius radicem cernimus, unde scilicet malū illud fomentum ac pabulum capiebat. Quo sublato, non multis post diebus, etiam domesticis medicamentis, sanatum est vlcus.

Attoniti fulmine.

C A P V T X X I I I .

A T T O N I T O S fulmine patrem & filium vidimus, quorū corpus & mens

stupore quodam tenebantur, adeò ut disso-
lutione neruorum, quam Græci Διπλαγίαν
vocant, affici eos crederé. Cumq[ue] ad sep-
timum usque diem ferè absque cibo & po-
tu, quin etiam muti & sine sensu vitam mi-
seram traherent, ex vena demum, quam
medici nigram vocant, sanguis emittitur,
aluuus ducitur, corpus plurimis frictionibus
distringitur, ac tenuissimis interim cibis ut-
cunq[ue] alitur, donec paulatim refecti ad pri-
stinam sanitatem reuersi sunt.

Lapis tussicula expulsus.

CAPUT XXIIII.

HE N R I C V S quidam Alemanus cum
laterum doloribus triennio iam vexa-
retur, & ob id opera & consilio multorum
interim medicorū, sed frustrā, usus fuisset,
ad nos tandem venit oratum, vt si quo mo-
do possem, laboranti illi opeū ferrem. In-
terrogo igitur hominem, an initium morbi
causam uē teneret, utrum scilicet, ex frigo-
re, vel ex iectu aliquo, aut nimio cursu, vel di-
stillatione à capite, siue etiam ex præceden-
te aliqua alia ægritudine hoc illi contigerit.
Respondit se nullam procatarrcticam scire
causam, sed tantum ex occulto initio pau-

latim

latim increuisse morbum illum, adeoq; au-
etum, vt eum ad mortem duceret. Anxious
igitur & tati doloris causam minimè depre-
hendens, nesciebam quò me verterem. Ne-
que enim vlla vel materiei, vel mali habitus
erant indicia, cùm tussicula quædam sicca
hominem vrgeret; neque item excrementa
aliqua videbantur. Et medicamenta etiam,
quibus curatus fuerat, intentiones ferè om-
nes euacuauerant. Quare auctorum tandem
sententiis nixus, quibus docetur medicus,
cum causæ morbi abditæ sunt, his præsidiis
vti, quæ conferre quidem possint, nocere
non possint: coepi primùm lenire pectus,
mollire guttur & asperam arteriam, donec
calculo ad auellanæ magnitudinem de pe-
ctore propulso, & sicca illa tussicula, & om-
nis præterea dolor amotus est.

ANNOTATIO.

CALCVLI in pulmone nati historiam quo-
que narrauimus, verùm non vnius, aut una
vice reiecti, sed multo tempore molesti, ac in aspe-
ræ arteriæ ramulis concreti: de quo cap. xxiiii. in
nostris Observationum medicinalium exemplis.

L

Mulie-

*Magna suræ ossis parte resecata,
puella conualuit.*

CAPUT XXV.

HIERONYMI Corbinelli filia octauum agens annum elephantico morbo affeta est, ita ut & suræ os vitiari cœperit. Summa enim cutis maculas crebroisque tumores habebat, & rubor paulatim in atru eleuari aconuersti cœperat, adeò ut facile iudicares vitium in osse confurgere: præsertim quod & ingenti dolore afficeretur, & nullum in carne puris signum appareret. Quare soluto ventre, & sanguine cucurbitulis misso, detegere os decemimus: quo detecto, quicquid putrēs ac cariosum inerat abscindimus. Sicque magna ossis parte resecata, puella (quod multis impossibile videbatur) tandem ritè curata conualuit.

Sagitta carminibus euulsa

CAPUT XXVI.

NI H I L tām facile in corpore quām sagitta conditur, & eadem sæpius altissimè: quod & in milite vidimus, cui telum dextra parte pectoris illatum, sinistræ scapulae ossi usque adeò inhæsit, ut & multi mucronem euellere frustra conati sint. Nam redi-

redire tā lōgo spatio minimē poterat absq.
carnis & venarum neruorumq. laniatione,
propter ea quod vtrumq. spicula ipsum cin-
gerent: nec etiam contrā carne incisa euelli
telum poterat, cūm os scapulæ, cui insede-
rat, magnum amplumque obstaret. Quare
medicæ artis præsidio destitutus, cum id ci-
tra mortis periculum fieri non posset, ad-
uocat ariolum: qui duobus digitis plagæ
superpositis, & carminibus nescio quibus
insuffratis, telum ex osse redire iubet: quo
etsi absque ægri corporis noxa, non tamen
sine utriusque animæ dispendio obtempe-
rante, miles ille paucis post diebus ritè cu-
ratus conualuit.

A N N O T A T I O.

DE sagittæ dorso impactæ ferro, quod per in-
ferna descendit: & parte teli, quæ post xxv.
annos sternutatione reiecta est, vide inter exempla
Alexandri Benedicti, de quibus & supra exemplo
decimo.

Vlcerata nares.

C A P V T X X V I I .

VL C E R A R I nares intus cōfuerunt,
eiisque malo vix succurri potest, cūm
inueterascit. Mihi nubilis puella nobilisque
ostenditur, quæ ciusmodi morbo diu tene-

batur: nec inuentus est Medicus, licet plu-
rimi puellam curandam suscepissent, qui id
malum tollere potuisset. Erant enim ulcera
circa nares pluribus crustis foeda: è quibus
etiam malus consurgebat odor, quod genus
Græci ὄζειν appellant. Curam itaque, orá-
te patre, qui vnicè filiam diligebat, aggre-
dior, his auxiliis fretus, quæ ad hunc mor-
bum conducibilia visa sunt. Primò igitur
aluum duco, humores æquo, & cucurbi-
tulis scapulis affixis, carnemque ferro incisa
sanguinem mitto. Tum & frictionibus di-
uertentibus usus, nares calida aqua spongia
expressa confoueo: deinde cerussam & ar-
genti spumam oleo myrtino & omphacino
excipiens, ad crassitudinem mellis reduco,
eoque illiniri nares saepius iubco: quo auxi-
lio crustis omnibus excisis, cerussa demum,
olibano, cadmia, phyllique interiore parte
diligenter attritis, & melle addito, medica-
mentum conficio, quo specillum lana ob-
uolutum intingens ulceribus admouebam:
& his repletis linimentum, eo quoque me-
dicamento illitum, demittebam in nares.
Idque bis die vel ter faciendum curabam:
quoad his præsidiis & auxiliis, quod pluri-
mos medicos diu multumque frustra fati-
gaue-

gauerat, paucis etiā mensibus sublato, puel-
lam pristinæ reddidimus sanitati.

Naturalia clausa incisione curantur.

CAPUT XXVIII.

NATURALIA seminarum interdum
claudi certum est. Id autem aut proti-
nuſ in vtero matris fit, aut ulceratione illa-
tum partium: dum scilicet ex incuria medi-
ci sanescendo oris inter ſeſe conglutinatis
iunguntur.

Incidit in manus noſtras puella quædam
iam matura viro; iam plenis nubilis annis,
cui naturalia ipsa clauderentur. Quæ cùm
ego huiuscmodi malum curaturus inspi-
cio, video membranulam quandam, quæ
ipsius vuluæ oti opponeretur. Quare dua-
bus lincis inter ſeſe transuersis eam incido:
ſtatimque tanta ac tam ingenti impetu ni-
grior materia profluxit, ut grande lumen;
quod tunc minister admouerat, extinxerit.
Menses enim præteriti intus tenebantur:
qui & dolores singulis mensibus excitarent.
Incisa itaque membranula ipsa, quicquid
ex ea intus superfuit, hamo apprehendo
amputoque. Tum reliquum curæ ex aliorū
ulcerum more prosequutus, haud multis

L 3 post

pōst diebus puellam ipsam sanām , ac coniugio aptam relinquō.

A N N O T A T I O .

AMATVS Lusitanus curatione xxiii. Centuriaē primae exēplum refert cuiusclam, cui glans penis non erat à natuitate perforata : circa verò testes foramen , per quod vrinam reddebat. iam & ano clauso natos quosdam Beniueniūs refert. Ita quandoque vitia quædam hominibus cōnascuntur, quæ arte subinde corrigi queunt: quandoque nequeunt.

Emortuus fætus unco extrahitur.

C A P V T x x i x .

MATVRO partu intus emortuo perclitabatur vxor pistoris mei , quare euocatum me rogat , vt deficienti illi quoquo modo opem feram. Ego verò reputans huiusmodi curationem inter difficillimas annumerari , & summam prudentiam ac moderationē desiderare (præsertim & quod fœtus transuersus iaceret , vt ne manu quidem intra vuluam iniecta , dirigi in caput aut pedes posset , & quod imus venter iam frigesceret) de salute eius dubitare cœpi. Verūm hortante me coniuge ac cæteris asſistentibus, vt nullum intentatum relinquerem

rem auxilium, vncum vertebris dorsi infantis iniiciens, paulatim extrahere nitor. Sed obstabat oris vuluae compressio, & ceruix toto corpore replicata augebat extractionis difficultatem. Quare calido oleo naturalia foueo, quo paulatim hiante vulua foetum educo. Mulieremque ferè mortuam molli cubili recreo, & oportunis demum præfidiis curataam pristinæ sanitati restituo.

A N N O T A T I O.

MORTVI in utero fœtus, ac aliquot annis gestati, deinde per incisionem exempti, historia extat Mathiae Cornacis: quæ, cum duabus aliis haud dissimilibus, sub finem ascripta est.

Natus ano clauso.

C A P V T . x x x .

VI D I M V S duos pueros ab utero matris natos naturalibus clausis: horum alteri caro quædam in ano altius increuerat, adeò ut intestini exitus percipi nullo modo posset: quo factum ut paucis diebus vitam finierit. Alteri vero membrana quædam ipsius tantum ani ori opponebatur: sed ea acutiore scalpro præcisa, statim sanatus est puer.

L 4 *Natu-*

Naturalia erosa & clausa.

CAPUT XXXI.

MULIEREM etiam vidimus, cui morbus, quem vulgo Gallicum appellant, totam vuluam eroferat, & incuria medici quicquid erosum fuerat, oris inuicem iunctis obcalluit. Indeque sola vrina, & ea ex paruo quidem foramine reddebatur. Huic nos (propterea quod callus ipse altior esset, quam ut citra mortis discriminem incidi posse existimaremus) consuluiimus, ut incurata potius viuere, quam tanto se periculo expondere vellet:

Intestino tenuiore clauso vita finitur.

CAPUT XXXII.

STOMACHO longa & plura vitia cum ex aliis membris, tum humoribus sibi innatis accidere consueuerunt. Vnde & nos virum nouimus quinquagenarium, qui ex præterita ægritudine, quam χόλερα Græci vocant, in qua simul & deiectione & vomitus accidunt, intestinaque torquentur, & bilis atra supra infraque erumpit, in perpetuum, & ut experientia docuit, penitus insanabile inciderat vomitū: vnde & stomachus pau-

cis

cis admodum horis cibum continebat, & alius præterea nihil omnino reddebat, siue leibus, siue acribus medicamentis vrgetur. Assumebat enim cibos leuiores, & ad concoquendum faciles: quos vbi aliquot horas continuerat, quicquid ex his supererat euomebat. Alebatur autem parte tenuiore, quam venæ à ventriculo attrahebat: sicque miseram quidem, sed tamen longiuscula vitam duxit. Huius verò nos morbi causam indagantes, putauimus eam intestino tenuiore figi: eoque adeò obcalluisse, ut cum incoctus cibus ad iecur totus penetrare non posset, retrocederet, & vomitus tandem expelleretur: id quod mortuo eo, experimento comprobare volentes, corpus incidere tentauimus. Sed nescio qua superstitione negantibus cognatis, voti compotes fieri nequiuiimus.

Ex abscessu Mesenterij mortuus.

CAPUT XXXII.

IVLIANVS quidam iuuenis alioquin optimus, alii torminibus vexabatur: inquit dies magis magisque dolor vim capiebat: tantumque aberat ut huiuscemodi doloris abditæ causæ comprehendendi possent, ut numerus quam

quam vllis præsidiis tolli , aut saltem leuari
hoc malum potuerit. Omnia enim viscera
sana videbatur, iecur, lien, & intestina om-
nia nullam doloris notam ostendebant. Sed
ille , nihilominus magis magisq[ue] indies,
quām vt tolerari posset, vrgēte dolore ipso,
tandem è vita discessit. Quare mortui cor-
pore inciso, vt scilicet tanti mali causas dig-
nosceremus , & sanis omnibus, vt putaba-
mus , inuentis visceribus , iubeo intestina
amoueri. Quæ dum gladio discindit mini-
ster,in abscessum magnū incurrit. Quo præ-
ciso, materia multa nigrior fœtensq[ue] pro-
fluxit, encausto sutorio similis. Ex quo ma-
nifestam eius mortis causam deprehendi-
mus. Atra enim bilis eò cōfluens huiusmo-
di abscessum paulatim effecerat.

ANNOTATIO.

In mesenterio quandoque inflammatio, ac dein-
de abscessus gignitur, de quo Ioannes Fernellius
doctè ac eleganter scribit, lib. De Partium morbis
vi. cap. vi 1. & quidem his verbis : Vera quoque
inflammatio in mesenteriū incidit, quum ab exesis
aut ruptis illius venis sanguis excidit, & in aliqua
fede præter naturam collectus putrescit, tandemq[ue]
suppurans abscessum facit. Ea inflammatio sine
manifesto dolore est, solumq[ue] grauitatis sensum
habet, nisi fortè vehementius prematur. Febris ad-

mo-

modum lœuis & lœta, sine siti, sine grauibus symptomatis, nec omnino ægrum prosterñes, nec quotidianas functiones interpellans. Principio sanies quædam rubra, facto deinde abscessu, pus album defluit ab aluo, & vtrunque modò permistum aliui fecibus, modò seorsum & syncerum, ut quum inflammatio in postrema intestina deuergit. Tum quippe pus per venam proximam in recti aut coli intestini capacitatem influit, syncerumque magna interdum copia redditur nullo sensu doloris: quod aliquando celebres medicos magna admiratione & controuersia torsit. Sed non aliunde id quam ab affecto mesenterio dimanare facilè nosci poterat. Neque enim ab inflammatis intestinis, neque à ventriculo potest sine vehemēti dolore prodire. Ex iecoris verò aut ex lienis inflammatione, febris vehementior affligit, omniaque symptomata fiunt grauissima: neque tam syncera sanies seorsum ob longiorem viæ tractum exit. Renes etiam affecti non illac, sed per vrinas repurgantur. Itaque vnum mesenterium reliquum est in abdominis capacitatem, quod sub illis notis inflamatione tentetur. Ha-
ctenus Fernellius.

Nouimus & nos quandam, cui inflammatio in Mesenterio nata fuit, & initio malè habuit, sed posteaquam inflammatio suppurata, & in abscessum conuersa, melius habens, sanā sibi visā est. Interim singulis diebus per anum bis terūie purulenta admodum fœtida, syncera, nullisque excrementis permixta redduntur. Et quidem nunc quartus agitur annus à quo sic sese habet:

Mo-

Monialis intestinorum dolore mortua.

CAPUT XXXIIII.

IN cœnobio Diui Donati quod in agro Pulucrosæ est, religiosa mulier & eius cœnobij professa fuit: quæ intestinorū doloribus multis iam mensibus vrgebatur: & alius nil nisi ægrè & durum, idque tantum decimo quoque die reddebat. Cumque nullis conferentibus auxiliis diu multumq. hoc malo vexata, tandem naturæ concesserit, mortuæ corpus incidendum curauimus, & inuenta sunt intestina altiore callo constricta: adeoque iter angustum relinquebatur, ut deiectiones ægrè transmitti possent. Hoc tamen nos malum, propterea quod aluum prementi nescio quid durum renitebatur, etiam ea viuente præfenseramus.

Tuberculum supra cordis arteriam.

CAPUT XXXV.

MULIER clara nomine & genere, cordis dolore interdum vexabatur, quem medici à malo ipsius cordis habitu fieri arbitrabantur. Sed cum pluribus iam annis connubio iuncta non conciperet, & sterilitatis causam quereret, ac tollere conatur

retur multis præfidiis, ita demum dolor ille cordis increbescere occipit, ut perpetuus fieret. Ex quo sepius etiam mulier ipsa deficiens, recreari vix poterat, donec eo iam magis magisque inualescecente, è medio sublata est. Cæterū mortuæ corpore inciso, & frustulum nigroris carnis in sinistro cordis ventriculo supra arteriam, quod mespilij formā haberet, & vulua à medio infra versus imam cius partem iunctis oris obcalluisse reperta est. Quare ut tuberculum illud mortis, ita hoc sterilitatis causam fuisse cognouimus.

ANNOTATIO.

CALLVM quoque cuidam in arteria magna, loco cordi proximo, natum obseruauimus: multis hic annis cordis palpitationi obnoxius crebro fuerat; sex verò ante mortem mensibus in sinistro carpo pulsū tam exiguum habuit, ut nullus frequenter apparuerit, ac sēpe sentiri non potuerit. Fuit quoque, palpitante corde, difficilē admodū huic potum admittere, sic vt vix vnciam simul bibere potuerit. in pectoris huius spatio sublutei coloris humor collectus quoque fuerat.

Stomachum obcalluisse.

CAPVT XXXVI.

ANTONIVS Brunus affinis meus, cum emāducatum cibum breuiore, quam

quām par erat , temporis spatio contine-
ret, & ita vt erat incoctum reiiceret , om-
nibus medicamentis, quæ stomachi vitiis
adhiberi possunt , diligentissimè fotus est.
Verūm cùm ea nihil omnine proficerent,
& corpori ob inopiā alimenti iam absump-
to vix pellis & ossa superessent , gradatim
tandem ad mortē deductus est. Quare de-
functi cadauere publicæ utilitatis gratia in-
ciso , inuentum est hominis ventriculū ita
iunctis oris ad imam eius partem obcallui-
se, vt cùm nihil inde ad inferiora transmit-
tere potuerit, necessariò mors subsecuta sit.

Callus in venis mesaraicis.

CAPUT XXXVII.

PETRVS Albimarius filium habuit, qui
cum octauum iam ageret annum, in cor-
ruptum incidit appetitum, quo calculos ru-
deraque comedens in lentam tandem fe-
briculam deuenit. Indeque procedente té-
pore & ventriculus non continere & venter
fluere cœpit. Adeoque duobus his malis
vexatus est puer, vt paucis etiam diebus è
vita decesserit. Huius nos cùm annuente
patre emortuū corpus incidissemus, reper-
tus callus inter venas, quas Mesaraicas ap-
pel-

pellant, à quo cùm venæ ipsæ adeò obstruerentur omnes, vt ferri inde sanguis vltrà nō posset, necesse fuit puerum è vita migrare.

Anzina incisa.

CAPUT XXXVIII.

ANGINA laborabat Nicolaus Rota, sed nullus tamen rubor, aut tumor, vel intus in gula, vel extrà videbatur. Et ipse nihilominus vix spiritum trahens, quicquid præterea edendum sumeret, per os statim & nares reiiciebat. Quare cum arescente corpore, pallente iam facie, ac vertentibus oculis, spes omnis sublata esset, & medici, quibus cura demandata fuerat, ægrum amplius non adirent: me licet iuniorem cōuocant, ægrum ostendunt, & quæcunque acta fuerant exponunt. At ego cùm & ægrum ipsum ad mortem tendere, & medicos quæcunque opportuna fuerant præsidia adhibuisse intelligerem, cœpi ipse mecum cogitare, satiūsne esset ægrum ipsum Deo & naturæ, vt cæteri medici, incuratum dimittere, an aliquod licet insolitum, utile tamē auxilium experiri. Verùm adhortantibus his qui ægro assistebant, consilium capio, & locum altioribus plagis sub ipsis maxillis, ac etiam

ctiam supra collum incido, ex quo cùm sa-
nies multa prorumperet, adeò morbus le-
uatus est, vt faucibus ipsis spiritum simul &
cibum capientibus, facilis dein ad bonam
valetudinem ægro ipsi daretur regressio.

ANNOTATIO.

DE Latete Angina in nostrarum Observatio-
num cap. xviii. latius scripsimus, quæ huc
referri possunt.

Soluta umbilici unitas.

CAPUT XXXIX.

VIRVM nouimus, quem dolor in pleniore intestino exortus adeò cruciaret,
vt nullo interim spiritu erumpente mediū
hominem disiectum iri putares: cumq. fru-
strè multa auxilia adhiberentur, & non so-
lùm clysteria vt in aluum demittebantur,
eadem prorsus eiicerentur, sed & medica-
menta quoque tam nihil ex ipsa aluo depo-
nerent, vt iter hinc inde clausum crederes.
Tandem cucurbitula umbilico affixa (solet
enim huiusmodi malum tali præsidio non-
nunquam minui ac leuari) soluta est umbili-
ci ipsius unitas: indeq; spiritus crassior
erumpens, & cucurbitulam ipsam disiecit,
& hominem omni amoto dolore pristinæ
sanitati restituit.

AN-

ANNOTATIO.

SOLVITVR & vmbilici vnitas Asciticis, quādo
ventre nequeunte amplius distendi, humor per
vmbilicum sibi viam querit, ac eō erumpere cona-
tur, quod malū Hydromphalon vocari cap. xxvi.
nostrorum exemplorum scripsimus. Grauidis in
partu laborantibus vmbilici vnitas quandoque
etiam soluitur. Erumpens tunc frequenter omē-
tum tumorem in vmbilico magnum excitat, qui
nisi fasciis constringatur, subinde adeō crescit, vt
molestias multas secum ferat.

Eleuatio stomachi.

CAPUT XL.

ANNVM XVI. agenti Petri Guicciar-
dini filio, ita ceruix ventriculi sine vl-
lo doloris sensu eleuabatur, vt magnitudi-
nem pomi cydonei æquaret: nec manifesta
causa ostendebatur, cum omni nocumen-
to careret. Quare rem admodum diligenter
vestigare cœpi, admiratus quænam ab-
ditæ huius mali causæ esse possent. Sed cum
nullam prolsus præter ventum inuenirem, à
quo, ventriculi capite paulatim eleuato, ita
eiusmodi fieret tumor, vt & ossa etiam
talem situm adepta, nec vltrà ad pristinum
statum reuersa, figuram iam illis impressam
tanquam naturalem custodirent: ferrea de-

M mum

mum lamina, quæ ex cingulo quoque surgebat ferreo, stomachum comprimi iubeo, quo paulatim ad sedem suam retrocedere cogeretur: quod factum est. Nā haud multò pōst hoc vno tantum præsidio ita repres-
sus est tumor ille, vt ad pristinam ac natu-
ralem formam ipsius ventriculi ceruix pe-
nitus reuersa sit.

ANNOTATIO.

IN Iliaco dolore cūm excrementa per os reddun-
tur, ventriculus quoque in tumorem quandoq.
attollitur, partim quidem ex flatibus, sed magna
ex parte ab excrementis eō perlatis. Quandocun-
que autem tale aliquid contingit, non modò spes
vitæ superest, sed mors ferè imminet.

Menses vomitione proiecti.

CAPUT XLII.

VRGEBAT VR mulier acerbissimo ca-
pitis dolore propterea quòd menstrua
non prouenirent: verū his demum vomi-
tione propulsis, ilicē sublatus est dolor.
Sed cūm id iterum iterumque ac sāpius fa-
ctitasset, abhorret standē mulier ab huius-
modi vitio, auxilium nostrum exposcit:
qui sola sanguinis missione ex venula quæ
sub talo est, & mestrua ipsa ex naturali loco
rite

ritè profluere coëgimus, & quod sequens
est, mulierem ipsam pristinæ sanitati resti-
tuimus.

ANNOTATIO.

TA M E T S I plerique existiment naturam non
moliri mensium purgationem per vomitum,
istud tamen exemplū, tum & nostrum cap. xxvi.
suppressis mensibus superfluentem sauginem vo-
mitione quandoque euacuari ostendit. Affirmat
idem Ioannes Langius Epist. xl. primi libri. Vide-
tur & hoc testari Hippocrates Aph. xxxiiii. lib.
v. ut in Scholiis capit. xxvi. quoque scripsimus.

Cordis pars patefacta.

CAPUT XLII.

IN C I S O abscessu, qui supra septimam
vertebram innatum longo temporis in-
teruallo sinum fecerat, intimamque mem-
branam sua sanie prorsus eroserat, minima
ipsius cordis pars oculis cernentium patefa-
cta est. Verùm cum hominem summa &
diligentia & solitudine curaremus, in pri-
stinam redactus est sanitatem.

*Pure per urinam deducto sanatus
est pleuriticus.*

CAPUT XLIII.

ORITUR sape in lateribus morbus,
qui πλευρικὸς à Græcis nominatur:

M. 2 huic

huic tussis & febris accedit, & excretatur cū
pituita sanguis, graue profectio ac intolera-
bile malum. Hoc cūm affligeretur Anto-
nius quidam, & morbus iam ad maturitatē
peruenisset, euacuato per vrinā puro, quod
raro contingere solet, penitus sanatus est
zeger.

ANNOTATIO.

Pus in thoracis spatio aut in pulmone conten-
tum, per vesicam quandoque extingati non
modò à recentioribus obseruatum, sed & a Gale-
no quoque visum: ut lib. vi. De Affectorum loco-
rum notitia testatur; ubi viam ostendit per quas pus
ad renes deferri queat. Recipi siquidem pus à lœui
arteria pulmonis, ait: deinde per sinistrū cordis sinus
delatum, in magnam incidere arteriam, per quam
ad renes, & illinc ad vesicam descenderet. Nam ut
à concava vena, ita quoque à magna arteria ramos
ad renes demitti.

Nouimus verò & nos rusticum tantum in pe-
ctore puris habentem, ut capite cum pectore deor-
sum reclinato ex ore illi effueret, qui purulenta
reddita vrina, sanitatem inox consequitus fuit.

*Ex tate sanata sola sanguinis
missione.*

CAPUT LIII.

ANNO integro remorantibus mestruis
mulier ad summatam deducta est ma-
ciem

ciem: & venæ eius ob nimia plenitudinem nigriores factæ, admodum extendebantur. Cumq. nullum cibi genus desideraret, consequens fuit, ut totum tabesceret corpus: Quare præsentaneum auxilium iudicauimus sanguinem mittere: qui cum primo die nigrior effluxisset, iubeo & altero idipsum fieri. Quo longè clariore emanante, factum est, ut profluentibus dein mensibus, mulier quæ per annum macie & tabe affiebatur, idoneis tandem medicamentis resumpta ad pristinam facile redierit valetudinem.

ANNOTATIO.

NON raro accidit virginibus viro maturis, ut suppressis aliquato tempore mensium purgationibus, respiratio reddatur difficilior: cor ex leui occasione palpiter: ventriculus cibum auersetur: & facies corpusque albido colore palleat. Nam quod Galenus lib. contra Erasistratos Romæ agentes de muliercula scribit, cui purgatio menstrua quatuor fuerit mensibus suppressa, quæ faciem habebat rubicundam, inter rarissimè contingentia numerari potest: frequentissimè etenim pallentes sunt. Hoc autem modo, sese habentibus virginibus corpora earum non nutriti, ac contabescere, ut à ratione hanc alienum, sic ex hac occasione extenuatas sanguinis missione relictæ rationi cōsentaneum. San-

guinis enim detractioni menstrua succedit purgatio: hanc vero sanitas sequitur.

Fluxus sola oratione solutus.

CAPUT XLV.

ACCIDIT interduim ventrem fluere: & si diu negligas, difficilior plerumq. fit ciui curatio, quin & nonnunquam impossibilis. Quod & nos nupet experti sumus. Iohannia Bencia affinis mea, mulier quidē & animo & genere nobilis, cūm diu ventre fluere permisisset, eō tandem deuenit, ut nullis medicamentis, nullis auxiliis, nullis etiam balneis eiusmodi fluxus sisti potuerit: augente igitur hoc malum iugi & inuincibili humore, qui ex ciuis infirmo alioquin & imbecillo capite in vetriculum destillabat. Et licet interduum conualefcere videretur, haud multò tamē pōst reuertebatur id malum, & quidem priore deterius. Quare omni spe medicæ artis deposita, fratrem Dominicum Pisciensem ordinis Prædicatorū, de quo etiam superius mentionem fecimus, adiit: morbum quo tenetur exponit: se omni humano auxilio destitutam affirmat: lachrymis & precibus orat, vt laboranti sibi sua & fide & oratione opem ferat. **Quod cum**

cum ille se facturum pro viribus annuisset, admota manu mulieris caput comprimit. Tum fusa oratione, ac signo Crucis ibidem impresso, abire iubet. Reuersa domum, cū eo ipso atque etiam altero die venter nihil ex consuetudine præterquam sanum redideret, me conuenit, rem ordine narrat, seq. penitus liberam affirmat. Quod et si Deo, cui possibilia sunt omnia, factu facillimum scirem: vcrebar tamen ne quod habebat in votis mulier, id iam se adeptam persuaderet: cūm nihilominus morbus ipse paulò post vel etiam deterior reuersurus esset. Sed cū ita tertius peragatur annus, ex quo fluxus ipse suppressus est, nec vlla interim apparuit, vel etiam appareat regressionis nota, ingenuè & fatemur & prædicamus, hoc solo nutu Dei per fidem & orationem sanctissimi illius viri factum fuisse, ad laudē & gloriam nominis sui, quod est benedictum in secula.

Gelatus in comitialem incidit morbum.

CAPUT XLVI.

HIERONYMVS Bencius, cūm è Diui Laurentij æde, vbi declamatis ad populum concionem audierat, domum sese

M 4 re-

recepisset: & reserato ostio ad cubiculum usque, in quo vxor ex partu languens iacebat, ascendisset: immotus ibident & inconniuis oculis stetit. Quem cum vxor diutius intuita rogasset tandem quid ageret: & ille nihilosecius expurgiceretur, accersitis famulis in eodem quo illa iacebat cubili, coniugem locari iubet. Qui vbi tandem sensum recepit, nihil eorum quae ipse interim egerrat, recordabatur. Quare conuocatis medicis, quibus & ipse interfui, plurimo sermone quæsitum est, an ille toto eo tempore obdormierit, ut accidit multis: qui ea persæpe dormientes faciunt, quæ munia solum videntur esse vigilantium: an alio quopiam morbo laborauerit. Ac tandem conuenimus illum eo tempore non dormisse, sed rigidum potius, vel attonitum, vel gelatum fuisse. Quam quidem sententiam etiā subsequens malum manifestissimè cōprobauit, cùm paulò pōst in comitialem inciderit morbū: quo nullis proſsus cōferētibus auxiliis multos iam annos miserabiliter cadit.

ANNOTATIO.

CATOCHVS affectus erat, quo Hieronymus Bencius initio detentus fuit. Cùm autem huius

huius frigidus ac crassus pituitosus humor causa fuerit, facile in comitialem morbum transitum fecit. Catocholaborauit & matrona illa, de qua nostrorum exemplorum cap. v. ex quo in Lethargū incidit. non rarum autem, morbum vnum in aliū permutari.

*Anissa atque iterum recuperata
memoria.*

CAPUT XLVII.

Ex præterito morbo conualescens Antonius quidam Senensis, quæcunque memoria fixus tenuerat, ita prorsus oblitus est, ut ne rerum quidē nomina reminisceretur. Dumque Florentiæ esset, Senis se esse putabat: sed ne amicos quidem ab inimicis discernebat: quos et iam immutatis nominibus vocitabat. Quare eo velut prorsus amēti, atque deliro naturæ dimisso, cùm vigesimo iam die hoc malo angeretur, cœpit veter fluere, variaque & diuersa strigmenta, sanguinem, bilem viridem, muccosasque deiectiones deponere. Quo factū, vt mens simul & memoria redirent, licet nihil corū, quæ ipse interim gesserat, recordaretur.

M J Ex

*Ex distentione neruorum mors
subsequuta.*

CAPUT XLVIII.

MITTERE sanguinem ut expeditissimum perito est, sic ignaro periculosissimum. Iuuenem vidimus, cui cum ex brachio sanguis mitteretur, & neruum scalpelum attigisset, statim sequuta est neruorum distentio: quae hominem ita crudeliter afflauit, ut paucis etiam diebus laboranti illi vitam eripuerit.

ANNOTATIO.

NERVORVM puncturam grauissimi dolores, ac molestie non raro succedunt conuulsiones, quas si superflua aliqua euacuatio comitetur, admodum pericolosum. Nam, ut Hipp. Aph. 111. lib. v. *Vbi sanguis plurimus fluxerit, singultus aut conuulsio superueniens malum.* item & praecedente Aphorismo: *Conuulsio ex vulnere lethalis est.*

Ex incisa arteria ferè mortuus.

CAPUT XLIX.

ORTA, ut assolet, inter commensales lite, cum quidam è conuiuis arreptum calicem in Alfonsi Hispani familiatis nostri faciem proiecisset, & incisa arteria ac cuti

di-

dilacerata sanguis copiosior eruperet, multa quidem, ac frustra, adhibita sunt medicamenta: cum ea sit arteriae ipsius conditio, ut incisa coire aut sanescere citra vstitutionem non possit. Quare cum sanguis ipse eò semper vehementius fluoret, quod plura experientur auxilia, & homo iam venis exhaustis prorsus deficeret, ad me tandem mitunt, rogantes, ut si fieri possit, amicum à morte præripiam. Venio igitur ad eum, vulnus inspicio, virtutem probo, nullum superesse præsidium iudico, præter vstitutionem solam. Quare ea qua potui diligentia incisam arteriam candenti ferro inuro, & statim suppressus est sanguis: quo inhibito, reliquum curæ facilem satis & expeditum habuit ad sanitatem regressum.

A N N O T A T I O.

ARTERIA vulnerata magnam diligentiam adhibendam esse ut sanguis sistatur, & vulnus coalescat, ostendit Galenus Medicendi Methodi lib. v. cap. iii. Consequitur autem nō raro arteriae vulnus, quod Græci *Ansúpsma* appellant, ut cap. li. nostrorum exemplorum videre est.

M. 4.

Mulier ex copiosa sanguinis mis-

cionibus suisq; fione emortua

CAPUT L.

QVIDAM nostri seculi medicus, Philosophiae magis quam Medicæ artis peritus, cum vxorem Iacobi Pactij equitis Florentini curaret, quæ duabus tettianis vexabatur, mittere sanguinem utilissimum iudicauit: quod & ego, cui simul cum illo cura demandata erat, penitus non improbabam: cù bilis sanguini mixta videretur. Sed & multa tamē pituita exuberabat. Igitur venam incidendam quidem censui: sed teritandi gratia, ut scilicet colorem sanguinis habitumque discernemus. Qui si crassus & niger esset, tanquam vitiosus largius effunderetur: sin contrà ruber & pellucens, tanquam integer seruaretur. Incisa igitur vena sanguis effluxit rubicundior. Quare dimisso iam caliculo, supprimendum censui: ille contrà deducendum. Verum cùm esset ipse ætate protectior, eius magis sententiæ inhærentib; coniuge & propinquis, ad duas sanè libras sanguinis miserunt & quæ lucidi ac rubri. Quare cura omni seniori illi reli-

relicta, protinus discedo, palam affirmans
atq. contestans iugulatam esse mulierem:
quod & paulò post rei euentus facile com-
probauit, cum paucis admodum diebus
mulier ipsa, defectis iam viribus, ac voce
penitus exhausta, in somnum inciderit gra-
uiorem, ex quo tandem mors subsequuta
est, ob nimia scilicet humorū cruditatem,
que ex ingenti sanguinis profusione contin-
gere solet. Quare debet semper medicus,
si diligēs sit, in omni sanguinis missione co-
siderare, utrum crassus & niger, an contrā ru-
ber & pellucidus sit. Quod si niger & crassus,
ut vitiosum effundi: si contrā ruber & pel-
lucidus, ut integrum supprimi iubere. Tan-
tū enim abest, ut ciuiusmodi sanguins, rubri
scilicet atque pellucidi, missio prospicit, ut
etiam plurimum semper obsit. Sed excidit
homini documentum filij Seni, quo in mis-
sione sanguinis cum bilis accessionem, tum
& pituitæ cruditatem plurimum cauen-
dam censuit.

Epoto veratro iugulatus.

CAPVT LI.

LABORANTI cuidam Zenobio no-
mine quartana, imperitus quidam me-
dicus

dicus veratrum, quod inter cætera medicamenta periculosissimum est, temerè propinavit. Ex quo statim subsequuta est cum crebra ac vehemens alui deiectione, tum spiritus tam gravis ac difficilis attractio, ut cum me filij ad hominem iam in mortis articulo positum aduocassent, & nullis potuisset praesidiis tanto malo succurri, intra sex tantum horarum spatium mors eum violenta è medio subtraxerit. Cauendum igitur est, ne huiuscemodi medicamenta, quæ veneni naturam habent, & stomachum cæteraque membra plurimum lœdunt, absque eo exhibeamus, quod nocumentum auferre possit: cum & altius per se sæpius ducant, & hominem non solum infirment, sed plenique etiam morti tradant.

*Vomitum ex albo veratro mors
subsequuta.*

CAPUT LII.

VO M I T U S ut interdum sanis utilis, sic aduersa valetudine laborantibus non nunquam necessarius. Verum multum interest quomodo & quare fiat. Hoc autem officium diligentis medici esse debet. Nam cum

cum quidam medicæ artis imperitus albo
veratro vomitum ciere solitus, omne genus
morbi tali præsidio se curaturum pollicere-
tur, accedit fortè ut in manuseius inciderit
quidam, qui duobus iam annis ventriculi
vitio laboraret, nec ullis unquam medica-
mentis sanari potuerit: utpote quod cum
suapte natura difficile sit, difficillimum
etiam redditur in corpore infirmo atq. im-
becillo, præsertim ubi licentiore quadam
libertate utatur æger. Album igitur & huic
veratrum ex more exhibente illo, plurimū
bilis ac pituitæ, tum nigratibilem, postre-
mò sanguinem eiecit: quibus ita deductis,
imbecillitas primò & quidem magna, tum
sudor frigidus toto capite ac thorace ema-
nans, nouissimè & mors subsequuta est. Nō
igitur ignorare diligens Medicus debet
huiuscmodi medicamentum non semper
ægris prodesse, sanis verò semper obesse.
Nam ubi robustum corpus natus fueris, &
ventriculus sit potens, morbusque longior
ac difficilis, ut Comitialis, & Insania, aut pa-
res his, tunc album veratrum ritè ac citra
medici culpam exhibi potest.

ANNOTATIO.

QVAM periculosus sit temerarius veratri usus, ostendit Hippocrates Aphor. i. lib. 5. Conuulsio, inquit, ex hellebore lethalis est. & Aph. xv. lib. 1111. Carnes sanas habentibus helleborus periculosus: facit enim conuulsionem.

Represso sudore sanatus.

CAPUT LIII.

CV M haud postremæ notæ medicus nobilem quendam ciue curaret, & febribus male hominem habentibus, vniuersum corpus in sudorem resolueretur, viresque omnes ita deficerent, ut cognati plurimum de salute eius addubitarent, me aduocant, ægtum ostendunt, curam enarrant. Inspiciehs itaque hominem, oculos admodum graues ac pallorem faciei intueris: quin & intima eius præcordia calore vehementi affici aduerto. Quare sudorem inæqualem, qui finiri non poterat, statim amotis vestibus, quibus ille de præcepto medici tegebatur, vt incongruum & inutilem supprimere nitimus: præsertim quod eo vires ægri penitus conuelli videbantur: tum corpus eventari, ægrumque etiam frigidioribus

pot

potionibus vti iubeo: donec sudor, quem medicus ille omni studio ciebat, prorsus supprimeretur. Quod vbi factum est, immutari statim videoas ægri faciem, vires redire, calorem reprimi, febrem remitti, ac non multò pòst hominem ad pristinam sanitatem reuerti.

Pestilenti febre arreptus.

CAPVT LIII.

PHILIPPVS Stroza & nobilitate genes, & opum affluentia insignis, lèta quadam febricula laborabat: & ex medicis, qui ægrum viderant, alij quotidianam, sed leuem, alij ob algorem contractam febrem putabant: nec defuit qui crederet à capite distillasse materiam, quæ putrescentē febriculam gigneret. At nos cùm eam ipsam diligenter examine perpenderemus, pestilentem iudicauimus. Quam sententiam deridentes medici, cum leuatam iam febrē existimarent (latebat enim anguis in herba) familiari tantum medico curam dimittunt. At æger, qui iam conualuisse videbatur, aduentante die septimo, in neruorum subitò resolutionem & febrem incidit ar-

N def-

descentem: qua exhausta voce , & corporis
viribus conuulsis, paucis etiam diebus mors
subsequuta est. Magna igitur esse debet
medicorum circumspetio in cognoscendis
curandisque morbis: ne inscitia (vt saepe fit)
atque indiligentia eorum ægri ipsi, qui se se
illis penitus tradunt atque committunt, pe-
riclitentur.

*Claudus ex loco eminentiori cadens li-
berum recipit gressum.*

C A P V T L V .

NICOLAVS architectus cum de emi-
nenti turri praæceps ruisset, tantum ab-
fuit, vt ex tam ingenti casu incommodum
aliquid reportarit, vt cum anteà altero
claudicaret pede, rectè deinceps ambulaue-
rit. Quin & puerum vidimus, qui pestilen-
ti morbo correptus curatusque idem ma-
lum effugerit. Nam ubi prius utroque pede
claudicaret, vt nisi duobus fulcitus baculis
omnino incedere non posset, curatus libe-
re, id est, sine aliquo adminiculo incedebat.

A Scor-

*A Scorpione ictus glacie se oppri-
mi querebatur.*

CAPUT LVI.

FAMVLVM habui, qui à scorpione ictus tanto subitò ac tam frigido sudore toto corpore perfusus est, vt algentissima niue atque glacie sese opprimi quereretur. Verum cum algenti illi solam theriaçam ex vino potentiore exhibuissem, ilicò curatus est.

ANNOTATIO.

ISTUD exemplum Scorpij venenum frigidum esse ostendit: proinde, & quæ huius veneno Theriaca resistunt, optima, quæ facultate calida.

Fames valida.

CAPUT LVII.

CVM vniuersam penè Italiam anno sa-
lutis nonagesimo sexto supra millesi-
mū quadringentesimum tam ingens ac va-
lida fames afflixtaret, vt passim multi pub-
licis in viis atque plateis deficerent: multi
etiam ex malis & noxiis nutrimentis in va-
rias inciderent ægritudines: vidimus ex his

N 2 quàm

quām plurimos qui ex diutina fame escam abundantiorem naūti fuerant, dum pleniorē vtuntur viētu, paucis diebus vitam finisse: adeò noxia atque perniciosa nimia satietas, quam multa præcessit inedia. Mulieres quoque vidimus, quæ pueris quos lactarent infectis, & se & illos ad mortem deducerēt. Plurimi tamen ex his qui ad valetudinariū deducebantur, medicorum cura & diligētia ad pristinam reuertebantur sanitatem.

Mulier ferè mortua ex sanguinis missione.

C A P V T L V I I I .

MULIEREM vidimus, quæ cùm pleniori & obeso esset corpore, & in ardentem incidisset febrem, vfa cuiusdam imperiti medici cōsilio, sanguinem ex vena copiosum emisit. Quo statim grauiter afflata in multò deteriorem prolapsa est valetudinem. Nam vt in tenuioribus magis sanguis, ita & in plenioribus magis caro abundat. Nos igitur cùm ad mulierem vocati, eam summo in discrimine positam inueniremus, alias omnino obseruationes adhiben-

bendas censuimus, eas videlicet, ad quas diriguntur curantis confilium debet. Quare defestam dudum virtutum omni genere auxilijs resumo, donec corporis viribus redeuntibus materiam quam exuberare cognouerā, medicamento deponendam censeo: quod cum ex frigidioribus rebus ægrotanti exhibuissem, illicò extincta est febris, & mulier, de cuius iam funere cogitabatur, per Dei gratiam ritè curata conualuit.

ANNOTATIO.

VITAE thesaurus sanguis est; atque immodi-
ca idcirco eius profusio, per quamcunque tandem partē fiat, periculosa. Multi ex immodica profusione mortui sunt: qui verò in vita seruati, sæ-
penumerò in hydropen inciderunt, refrigerato, scilicet, iocinore, & naturalibus facultatibus labe-
factatis.

*Ex quartana malè curata, sanitas,
tum & mors subsequuta.*

CAPVT LIX.

VILLICVS meus annuam quartanam patiebatur, & cōfilio nescio cuius em-
pirici faselum ex omphacino, & alia usque

N 3 ad

ad satietatem deuorans, ad viginti insuper
vini meri calices ebibit: quo adeò inflatus
est, ut è foco prope quē cœnauerat, amoue-
ri penitus non posset. Quare strato humili-
pallio quo induebatur, ibidem pernoctauit.
Matutino autem aduentante tempore, dif-
fusus per omnia membra sudor est: quo fi-
nito, vomitu quicquid comedera reiecit,
& cum eo pituitosa excrementa quamplu-
rima. Quo factum ut ex quartana quoque,
qua integrum iam annum laborauerat, ex-
trusa, valetudinem sit consequutus: quam
quidem rem validioris naturæ vi acceptam
referendam arbitrati sumus. Nam amota
iam cruditate, & humorum concoctione
longiori spatio perfecta, natura quæ sua pi-
gritia torpebat, ab ignauia & torpore pro-
pulsa, contra morbum & causas vires exci-
tat, quibus tandem sudore ipso atque vomiti-
tu & morbum & errorem disiecit. Quod
profecitò eadem febris comprobauit. Nam
cum quatuor post annos hominem iterum
inuasisset, & ille putaret eodē se posse auxi-
lio febrem tollere, quo olim fecerat, statim,
hoc est, inter morbi ipsius initia, dum scili-
cet cruda esset adhuc ipsa materia atq. inco-
cta, pleniore ut cū victu & potionē abūdan-
tiore

tiore ex iisdem quibus suprà rebus abusus,
ante solis ortum eodem quo decubuerat lo-
co mortuus inuentus est.

A N N O T A T I O .

LONGVS morbus Quartana est, diligenti cu-
ratione & exquisita victus ratione opus habet,
in quibus si peccetur facilè deterior redditur: vel
ex hac in morbum alium transitus fit: quod & ci-
tra errorem non raro contingit. Plerique enim ex
quartana hydropici, alij phthisici redduntur. Qui
sexagesimum ætatis annum superant, si à quartana
occupentur, raro euadunt, & magna ex parte hy-
dropici moriuntur. Iuniores minus periclitatur, ni-
si natura sint ad phthisim propensi, quibus quarta-
na quandoque in hanc desinit. In quartana facilè
multi crudi ac etiam serosi tenuesq. humores col-
liguntur, naturali facultate ventriculi ac iocinoris
per morbi diuturnitatem debilitata. Excernuntur
hi quandoque per sudores: quandoq. per aluum:
nōnullis fluxus sanguinis è naribus accedit: quibus
verò nulla harum vacuationum superuenit, vel hy-
dropici fiunt, vel destillantibus in pectus & pul-
mones humoribus phthisici: quamquam tamē nec
hi, ab hydropis periculo liberi sunt, quibus san-
guis copiosior diutius è naribus profluit. Conti-
ngit verò & crudos crassos melancholicos humores
splenem occupare, hydrope non raro succedente.
Quartanæ autem quò puriores, hoc etiam diutur-
niores, molestæ admodum, quæ calidis morbis

succedunt. Impuræ, & præsertim ex humore melancholico bile permixta, breuiores sunt. Diem hæ subinde mutant. Cum enim accessiones multum anticipent, fit ut quandoque in meridiem vel paulò prius incident: quod ubi contingit, mox mutato die, tertio, vespertina hora inuadunt, consuetum paroxysmi diem anteuertentes. quo die non recurrat febris, vel admodum clementer, citò recurrere desinens. Atque sic ter mutasse huiusmodi quartanam accessionis diem à nobis quandoque obseruatum est. Naturæ siquidem quartanæ repugnat, ut ante meridiem inuadat. Nam ut generatio eius inclinante anno; sic & particularis accessio non nisi inclinante die accedit. Imponit quandoque medicis triplex quartana, verùm à quotidiana dignoscitur ex eo, quòd accessiones eius à meridie fiant: quotidianarum verò matutino tempore. Curari quartanam quandoque errore contingit. Sed qui vni benè cedit, alteri exitialis est. Sic duos fuisse Iuuenes quartana laborantes Amatus Lusitanus refert Curatione XLII. Centuriæ secundæ: Quorum unus prava victus ratione euasit: alter vitam cum morte commutauit. Sic etiam quod quādoq. uno tempore (si præter rationem fiat) prodefse videtur, alio tempore noxiū est: ut Beniuuenij villico contigit. Definit verò & quartana febris quandoque alio superueniente affectu: veluti dysenteria, qua nonnulli à quartana olim liberati.

Vnus Autumno nullo alio præcedente morbo quartana correptus, post detractum è sinistri brachij interna vena sanguinem, & assumptas aliquot

ex hiera picra pilulas, in dysenteriam incidit, sed haut molestā. Mox febris mitior facta, & persecutante dysenteria febris citò desit: Dysenteria verò breui pòst nullo adhibito remedio sponte cessauit.

Monialis quoque quædam, cùm duplici quartana laboraret, superueniente sponte fluxu dysenterico, mox ab vna, deinde ab altera libera facta est. Cessauit & huius fluxus nullo alio adhibito remedio, quām idonea viētus ratione. Huc facere videtur Aph. XLVIII.lib.vi. *Lienosis difficultas intestinorum superueniens bonū.* Si enim Lienosis expediens dysenteria est, quartana laborantibus profuisse à ratione haud alienum est. Nam per quartanas, Lien sèpe malè afficitur, & melācholicus humor quartanæ & lieni malè affecto communis est.

*Molesta tussis sola sanguinis
missione curata.*

CAPVT LX.

MOLESTA tussi afficiebatur puella quædam xv. agens annum: quæ tametsi per se grauis & formidabilis esset, cò tamen sese medico formidabiliorem reddebat, quòd vnà sèpius cum ea sanguinem expuerat puella. Quamobrē cū medici ipsi, quibus cura demādata erat, & hác paulatim tabe consumptam iri, & nullis se posse auxiliis huic malo succurrere viderent, eam tandem Deo & naturæ dimittunt. Verùm pa-

N 5 ter

ter (ut est amor) ne quid omnino intentatum relinqueret, me aduocat, puellam ostendit, & quæ haec tenus facta sunt, plurimo sermone enarrat. At ego sputum primò colligi iubeo: quod vbi nullum pus subsequi, & sanguinem ipsum minimè etiam purulentum inspicere, cœpi in eum cogitare, quænam huius vitij causa esset, & an sanguis ipse ex ore vel ex gingivis, aut fortè ex naribus effuderetur: sed cum ex his locis absque illa profluat tussi, aliunde cum emanare arbitratus sum. Quæro igitur si ex gutture, aut ex arteriis ulceratis, vel ex pulmone potius, siue ex pectori, aut forte ex iocinore prorumperet: sed cum nulla essent certa indicia, puellam interrogo an menses illi profluant (solent enim feminæ, quibus sanguis per menstrua non respondet, saepe cum aut cum tussi expuere, aut vomitione propellere.) Sed negante illa, sanguinem mittendum censeo ex venis, quæ sub talo sunt: idque singulis mensibus faciendum, donec isto atque item aliis auxiliis, quæ sanguinem promouere consueuerunt, & menses ipsi ritè profluere cœperunt, & puella quæ iam macie & tabe confecta videretur, sex tantum mensium spatio vires & corpus

refu-

resumens, ad pristinam, adiuuante Deo, re-
uersa est sanitatem.

Difficultate spirandi mortuus.

C A P V T L X I .

MULTOS difficultate spirandi laboras-
se cognouimus: sed inter cæteros quē-
dam, qui non nisi recta ceruice spiritum tra-
hens, paulatim ex angustia deficiente virtu-
te toto corpore pallidus ac liuens efficieba-
tur: nullus tamen in pectore, nullus in pre-
cordiis dolor erat: sed nec sibilus aliquis ob
angustias, per quas spiritus cuadit, percipie-
batur: ex quo iudicare posses ægritudinem
in pectore concipi. Verum cum paucos post
dies inualescente morbo ipso, & nullis con-
ferentibus præfidiis, æger è vita migrasset,
incidere mortuum decernimus, vt huius
mali abditas ac latentes causas deprehende-
remus. Quod ubi factum est, inuenimus
non parum atræ bilis & sanguinis nigrioris
in eius corde coisse: vnde etiam per venas
diffusus, non est mirum si corrumpente eo
spiritum ipsum, hominem ad festinā mor-
tem deduxerit, quod etiam auctore Gale-
no alias contigisse cognouimus.

A N

ANNOTATIO.

De spirandi difficultate cum suffocationis periculo in nostris exemplis, cap. xix. quoque scripsimus.

Ex horrore flammæ in febrim incido.

CAPUT LXII.

In Appiani basilica, cùm adhuc admodū iuuenis, vnà cum Peregrino Allio literis Græcis operam dabā sub Præceptore Francisco Castilionensi religioso viro, vbi cum semel è cubili summo diluculo consurgens ædem ipsam ingrederer, vixque limen transfilissem, ecce video flamas ab imo paumento iterum atque iterum sursum ferri: horresco, & pauens ac tremens cursim, vt poteram, cubile ipsum repeto. Me verò Peregrinus condiscipulus meus, qui adhuc in lectulo quiescebat, cùm anhelantem & veluti lymphatum inspiceret, rogat quidnam mali mihi contigerit: vix ego trahebam spiritum, rem tamen vt potui explicō. Admiratus & ipse, timere cœpit. Sed cùm interim præceptor noster è cubili surrexisset, hominem conuenimus, rem exponimus, cau-

sam

sam quærimus. Ille verò, vt erat vir doctus & in philosophia satis eruditus: vapores, inquit, ex cadaueribus mortuorum eleuantur, qui calidissimum hūc aërem naēti (id enim accidit in ipso mense Iulij) facile inflammātur: quod & nos etiam sæpius vidimus, ac propterea nihil nobis pertimescendum est. Hoc etsi ego authoritate viri suasus verum iudico, ex præcedente nihilominus timore, ex quo spiritus ipsi cateruatim versus cor regrediētes inflammati sunt, in eam, quam Græci ἐφήμεραν vocant, febrē incidi.

Puer horrore mortuus.

CAPVT LXIII.

PUERVM nouimus, qui dum rure paterno degeret, singulifque diebus ad vicinum sacerdotem studēdi causa, vt fit, summo manè mitteretur à patre, accidit semel vt propè iam intranti illi sacerdotis ipsius ædes, essetq. cœlum paululum adhuc subobscurum, præstò fuerint duo viri nigris vestibus obuoluti: quibus adeò perterritus est puer, vt toto corpore contremiscens, altaq. voce auxilium clamitans, in admirabilem sanè ægritudinem, ac demum in mortem inciderit. Nam statō tēpore, id est, octauo quo-

quicque dic, & cadé fermè hora in eundem
semper horrorem atque clamorem prorue-
bat, donec tabe consumptus, vitam, quæ
nullis præsidiis contineri potuit, miserabili-
ter finiuit.

A N N O T A T I O.

PUERVM quoque quandoque visitauit, qui ali-
quot noctes insomnes egerat, & angues circa se
videre existimans, toto subinde corpore contre-
miscebatur, & perterritus horrebat. Huic somnife-
rum vnguentum temporibus applicatum anguiū
imaginationem sustulit, somnum procurauit, &
sanitatem contulit.

Tuſi ſciſſa eſt tunica intefinorum.

C A P V T L X I I I I .

TVSSI valida vrgebatur puer sextum
agens annum, dumque vehementius
tuffiret, ſciſſa eſt tunica, quæ deducere ab
inferioribus partibus intefina debet, & in
ſcrotum, Græci ὄχεον vocant, iintefina de-
uoluta, Herniam fecerunt, qua & in hunc
vſque diem laborat. Tanta enim fuit ſciſſu-
ra, vt nec coīre haſtenus vllis potuerit me-
dicamentis, nec etiam in futurum, niſi ſola
vſtione, coibit.

A N -

ANNOTATIO.

Si peritonæi vel vñitas soluatur, aut laxiora eius sfiant foramina, per quæ vasa ad testes deferuntur, citò vel intestina vel omentum extra locum suum decidit, affectus q. fit qui Græcis κοίλη, Latinis Ramex dicitur: qui quandoque circa inguina consistit, & Bubono Cœlē appellatur: alias in scroto, quò si intestina descenderint, ἐντεροκόιλη: si vero omentum, επιστολοκόιλη nominatur. Curatio autem horum non nisi per sectionem perficitur: quod artis huius peritis relinquendum.

Ictus in cordis tunica conualuit.

CAPUT LXV.

Ex nobili familia nati fratres duo, eadem etiam cohabitantes domo, atque eodem viètu viuentes, dum inter cœnandum orta (vt fit) inter eos lite, alter alterum gladio, quo in mensa vteretur, in ipsius cordis sede percussisset, plurimusque ex vulnere sanguis efferretur, languescunt ilicò venæ, pallit facies, sudor frigidus toto corpore manat, arteriæ non eleuantur, omniaque demum mortis signa apparent. Verùm ne nihil omnino agerem, iubeo hominem his rebus foueri, quibus cordis vires refici possint.

cum-

cumque æger vsq. ad medium noctem eodem sese habitu haberet, & de eius potius funere quam de vita cogitaretur, cœpit pa latim spiritus reuerti. Quare sumpta spe curam prosequor, donec aliis atque item aliis præsidiis usus, hominem tandem, Deo adiuante, ad pristinam sanitatem reduco: ex quo planè cognouimus non ictum cor, ut putabamus, sed eius tantum tunicam leui ter fuisse perstrictam.

Vitium stomachi curatum.

CAPUT LXVI.

INTER stomachi vitia vulgatissimum est resolutio, quæ vel calidiore, aut frigidiore, humidiore ué, vel etiam sicciori habitu plerunque solet accidere.

Nobilis quidam vir Ioannes nomine, ciuis Neapolitanus, cum diu eiusmodi vitio laborasset, & ex medicis nostri seculi plurimi hominem curandum suscepissent, nullum tamen inuenire auxilium idoneum potuit.

Quare cum Florentiam demum veniens me conuenisset, & quæ hactenus ex Medicorum consilio huic vitio adhibuisset, ordi ne

ne enarrasset: ex his quibus usus est praesidiis
facile cognouimus, existimasse medicos
omnes eum malo habitu frigido laborare.
Nos vero & praecedenti curatione, & aliis
haud sanè obscuris indiciis, longè aliter sen-
tiētes, calidiorc habitu eius affici ventriculū
arbitrati sumus. Quare ad ea auxilia cōuersi,
quæ aridum iam ac tabe penè consumptum
corpus desiderare videbātur: primo die solas
laetuculas ex aceto & oleo commanducare
præcipimus: quas cum vtiles stomacho atq.
idoneas percepisset, iubeo dimittat balneū,
frictiones, exercitationes, præsertim supe-
riorum partium,unctiones omnes & cibos
calidiores, quibus haec tenus usus fuerat, &
ad frigidos potius ac difficilioris concoctio-
nis sese conuertat. Vnde & veruecem ma-
gis quam auem, aut venationē, aut piscem,
nisi sit generis durioris, in hac sua ægritudi-
ne conlaudo. Potui quoque aptissimum illi
vinum frigidum & austерum, ineptissimum
calidum & crassum esse pronuncio. Quibus
cum ille auscultasset, ac diligentissime ea
exequutus fuisset, hoc tantum genere victus
& frigidioribus medicamentis usus, intra
duos menses pristinam recuperavit sani-
tatem.

O

Meli-

Melicera pro carbunculo iudicata.

CAPUT LXVII.

VL CERE subalbido furunculo simili, quod Græci, cò quòd faui speciem habcat, μελικηρίν vocant, vir quidam nomine Paulus laborabat. Id autem cùm febrein & inflammationem ingentem excitasset, medicum quidem sed qui per imperitiam vlleris ipsius naturam minimè calleret, accersit. Eo autem iudicante vlcus ipsum pestilēs esse (venit enim cum dolore vehementi, habensque foramina per quæ fertur humor glutinosus, vix maturescit) simul omnes cum consulente medico aufugiunt, vni tantum viro ægri curam commendantes. Quo factum, vt desperatis penè rebus ad me mitteret, rogaretque aliquod pereunti illi auxilium ferrem. Sciscitor itaque nuncium vlleris naturam, & ar. increscat ægritudo, vel deficiat virtus, aut forte eo loco pestilentes sint febres. Refertur, vlcus non nigrum, non lucens, non pallidum esse, febrem lentam & penè leuatam, sana omnia in regione illa. Accedo igitur ad hominem : cumq[ue] contrâ hilari vultu resedisse, faciem primò

ocu-

oculosque sano similes intueor. Tum arteriam tangens, pleniorem quoque reperio. Quare sanitatem pollicitus vlcus detego, & omni sublato timore familiam reuocas, curam aggredior: quæ licet difficilis admodum fuerit, ad integrum tamen sanitatem æger ille per Dei gratiam reuersus est.

Incisus coles sanari nequiuit.

CAPUT LXVII.

MEDIVM sibi coleam lino, & quidem arcte deligauerat puer insciis parentibus, eoq. tam diu vincitus fuit, donec plagæ altitudo ad iter vrinæ ascenderet duobus locis: quibus & quod vrina ipsa inde mittetur, & quod vtrimeque oræ obcalluerint, coire vlcus atque conglutinari nullis vnquam remediis potuit.

Monachum etiam iisdem fermè temporibus vidimus atque curauimus, qui ob zelum castitatis, sed indiscretum tamen ac minimè secundum Dei rationabile obsequium, coleam sibi & quidem pubetenus prorsus absciderat: ex quo cum sanguis copiosus efflueret, ac propterea medicamenta

O 2 om.

omnia vinceret & exuperaret, arduum sanè
ac laboriosum fuit eiusmodi profluum si-
stere atque inhibere. Oportuit enim singu-
las venas, quæ sanguinem fundebant, ap-
prehendere, atque ita deligare, ut ora præ-
clusa coirent. Quo facto reliquum curæ ge-
nus haud admodum difficile fuit, donec
vulnus ritè curatum penitus sanesceret.

*Qui ex nimia plenitudine mori vide-
retur, sola sanguinis missio-
ne sanatur.*

C A P V T L X I X .

PLVRIMVM in morbis iudicádis tribuút
venarum pulsui: qui si imbecilli exigui-
que fuerint, mortem plerumq. denunciant:
sin contrà magni & pleniores, salutis spem
adferunt. Nos tamen Philippū quendam
vidimus, hominem sanè ebriosum & cor-
pulentum, cuius pulsus, dum languens in
lecto iaceret, ita paruus & exilis erat, ut cùm
à Medico percipi vix posset, facile crederes
mortem instare, ni facies rubicundior, ocu-
li, dentes, & venæ pleniores iudicio præsen-
tis medici obstitissent. Quare tati mali cau-
sam

sam diligentius perquirens, iudico id ob nimiam saturitatem sanguinisque abundantiam fieri, nullumq. opportunius adhiberi posse auxilium, quam sanguinis ipsius celerimam missionem. Sed obstabant cognati atque amici, verentes ne huiuscmodi præsidium hominem celerius occideret. Instanti tamen mihi, ac certam, si id fieri permitterent, salutem pollicenti, tandem acquieuerunt. Quare accersito statim ministro sanguis mittitur. Nec mora pulsus simul & vires tam celeriter redeunt, ut festinantior adfuerit ipsa sanitas, quam mors quæ præ foribus excubare visa est, ad futura crederetur.

A N N O T A T I O .

QUANTVM periculi ex nimia plenitudine immineat Hippocrates Apho. 3. lib. 1. ostendit: Habitus Athletarum &c. & Galenus quoque in eiusdem Aphorismi commentariis refert. Cum enim vasa supra modū fuerint repleta, periculum est ne dirumpantur, vel calor naturalis suffocetur. Sicuti nonnullis accidit, ut Galenus ait, qui cum ad immodicam venissent repletionem, subita morte interierunt. Quemadmodum & Philippo, de quo Beniuuenius, accidisset, nisi tempestivè sanguis detractus fuisset. Adfui & ego olim homini ebrio, qui cum ad tantam plenitudinem venisset, ut

O 3 quo-

quodammodo stranguli videretur, etiam mutus factus fuit. Huius verò & sanguis largiter detractus è communi dextri brachij vena, mox loquaciam & sanitatem restituit.

Abscessus sola theriaca apertus.

C A P V T L X X .

PVERVLVS thoracis abscessu laborabat, & cùm condita & matura iam suppuratione esset, timeretque ille vlcus mucrone discindi, theriacam superpono: qua non secus unius tantum noctis spacio abscessus ipse apertus est, ac si scalpello fuisset incisus: ex quo facile coniectari potest, quanta sit huiuscompositi vis. quod & nos sëpe alias experti sumus.

Gangrenam mortem adferre, si à digito pedis incœperit.

C A P V T L X X I .

Qv i vlcere nigro, quod γάγρανη Græci appellant, afficiuntur, si id à digito pedis incœperit, & patiens fuerit senex, vel ex his quorum corpus mali habitus sit, celerius moriuntur. Nouimus nos Cambinum, Carolum, & Thomam ciues Florenti-

rentinos, nec non & alios quamplurimos huiuscemodi affectos vitio, paucis diebus vitam finisse. incipit enim caro ipsa in ulcere paulatim nigrescere, vel liuens fieri: quia & arida interim atq. sicca, & cutis circumiacens nigris impletur pustulis: tum & quæ proxima est, amissso sensu liuet palletque. Nec prius serpere id malum desinit, donec ossa etiam inficiat: quod si quicquid aridum est, & proximum quoque locum vel usque ad sanum prorsus excideris, reuertitur tamē & serpit. Verum cùm aliæ partes corporis hoc malo afficiuntur, plerumque sanantur. In illiusmodi autem membris & calor est debilis, & nerui insunt plurimi: qui cum inficiuntur, facile etiam circumiacentia loca inurunt. Vnde & proxima his statim liuent, donec totum membrum miserabiliter occupant atque inficiunt.

ANNOTATIO.

COCTORI ceruisiae, de quo nostrorum exemplorum, cap. xxvii. Gangræna quoque à dígito pedis incœpit: veluti & puelo, de quo cap. lxxi. Malè affectis internis visceribus & facultibus vitali ac naturali insigniter debilitatis, extremas partes vita & calore simul destitui contingit.

*Ex carcinomate exagitato mors
subsequuta.*

CAPUT LXXII.

VENIT ad me Philippus quidam tex-
tor, cui in lœua frontis parte tumor erat
immobilis inæqualisque, ac furunculo per-
similis, qui etiam tangenti renitebatur. Et
venæ, quæ circa locum erant, pallidæ quo-
dammodo ac liuore quodam suffusæ, vltra
decorum intumuerant. Cumque nostrum
de hac re perquisiuisset iudicium, consulo
ne id malum quoquo modo tollere præsu-
mat, sed leuioribus tantum medicamentis
illi blandiatur. Discessit, & cum in manus
imperiti cuiusdam medici incidisset, tota
iam intra mensem frōte & altero oculo ero-
so, ad me reuertitur, sciscitansque an aliqua
salutis supersit spes: vtinam, inquit, consu-
lenti tibi fidem habuisseni. Moneo igitur
hominem, ne vllis præterea vtatur medica-
mentis præterquam blandis & leuioribus.
Quod si asperis & erodentibus vteretur, fo-
re vt breui reliquum etiam ipsius faciei ero-
deretur. Audiuit tandem homo, & cum his
tatum quæ nos illi secundum hanc intentio-
nem

nem parauimus, medicamentis semper usus
fuisse, ut ad decimum usque annum super-
uixit, ita certe si id malum ex consilio no-
stro nunquam agitasset, ad ultimum sene-
ctutis peruenisset.

A Ramice curatus interiit.

CAPUT LXXXII.

RAMICE vexabatur Michelotius no-
ster: cumque sacerdoti cuidam, qui
hanc artem profiteretur, se curandum tra-
didisset, duplii statim ille fascia inguen de-
uinxit, non repulso in superiores partes in-
testino. Dumque membrum ipsum ita ut
erat arctius obligatum in octauum usq. die
detinuisse, essetque interim ingens exorta
inflammatio, quæ hominem ea parte, qua
fascia deligabatur, miserabiliter cruciaret,
repente omnis amotus est dolor, & ipse de-
lirare coepit. Quare cum ad xgrum sero qui-
dem, sed tamen vocatus accederem, primò
arteriam tango: cumque pulsus vix eleuari
perciperem, & faciem inspectans, eam ni-
mio pallore suffusam, atq. ipsos etiam ocu-
los cauos effectos aduerterem, iubeo sacer-

O s dotem

dotem accersant: tum fascia illa soluta, so-
cum vndique nigrescentem cerno, cum-
que specillum ulceri imponerem, om-
nia circumiacentia intestina iam putruis-
se cognosco. Ex quo paucis dein horis è vita
discedens, vtile nobis documentum sua
morte reliquit; languentium scilicet corpo-
ra non sacerdotibus, quibus tantùm anima-
rum cura demandata est, sed doctioribus
Medicis tradi oportere.

A N N O T A T I O.

Non omnes, qui à ramice aut vesicæ calculo
per sectionem curátur, in vita seruantur. ple-
rique etenim eorum moriuntur: quibus videlicet
per diuturnitatem mali ac dolorum vites, debilita-
tæ sunt, aut aliquod ex internis visceribus corrup-
tum. quod calculo in vesica consistente facilè fit.
Tandem enim renes inflammantur, ac deinde sup-
purantur, vt cap. XLIIII. nostrorum exemplorū
annotatum est. Et tunc quidem artifex culpandus
non est. Sed si sinistra adhibetur curatio, culpa in
artificem cadit: veluti in hunc sacerdotem, qui in-
testino non sursum repulso, curationem ramicis
temerè aggressus fuit.

Puel-

Puella oculo perforato visum recuperauit.

CAPUT LXXIIII.

QUATVOR annos natam puellam vidimus, cui, dum ea nodum in panno soluere acuto gladio niteretur, resiliens mucro oculum dextrum percussit: quo perforata ipsius oculi tunica, plurimus statim inde fluxit humor: quare et si visum prorsus amiserit, ipsum tamen haud multò post ritè curata recepit. Tanta enim inest vis tenellæ illi ætati, ut hunc ipsum oculi humorem (quod sàpe accidit) in integrum reficere possit.

Iocinoris vitio laborans sola sanguinis missione sanatur.

CAPUT LXXV.

IO C I N O R I S vitio affiebatur Antonius Brunellescus, ex quo cum vehemens dolor à latere dextro in iugulum humerumque transmittenetur, & bilem quoque euomentem ægrum singultus etiam penè strangularet; ad hominem vocatus accedo. Verùm cùm huiuscmodi vitij notæ eadē ferè

ferè sint, quæ & lateris abscessum indicant, Medicus cui primùm ægri cura demandata fuerat, medicamentis & cataplasmati eius pectori medebatur. Sed cùm dolor & angustiæ magis magisque hominem afflarent, iubeo sanguinem ex vena, quæ ad iecur dirigitur, statim diduci: & quæ ille insuper pectori adhibuerat medicamenta, iocinori ipsi impono, donec æger ad sanitatem reuertitur: quod paucis diebus factum est. Oportet igitur medicum non solùm morbum cognoscere, sed & locum etiam in quo fit, diligentius perscrutari.

Scisso intestino graciliore vita amittitur.

CAPVT LXXVI.

TE NVIORIS intestini morbo, quem Græci εὐλεον vocant, vrgeri commune est: sed vrgeri, vt sic vitâ tollat, inauditum. Corpulenta quædam mulier, cùm modò supra, modò infra vmbilicum intolerabili premeretur dolore, nec ullus hinc inde spiritus erumperet, adeò agitata est, vt scisso tâdem intestino vitam finierit. Quod nisi incisa mortua pluribus innotuisset, nescio an citra

citra mendacij suspicionem à me scribi potuisse. Sed & rusticum nouimus, qui cùm post longiores torsiones, & ventris diuturnas inflammations diem obiisset, & mortui incideretur corpus, longior in intestino fissura inuenta est: ex qua etiam recentes vuas, quas paulò antè comedera, prorupisse conspeximus.

Vermis ex pectore propulsus.

CAPVT LXXVII.

LA BORABAT Antonius Siculus molestia quadam tussicula, & cùm diu nihil conferentibns auxiliis hoc malum tolerasset, ad nos tandem venit: rem exponit: consilium querit. Nos verò & quòd morbus diutius inueterasset, & quòd multos expertus medicos, nihil omnino profecisset, putabamus hoc vitiū ægrè elidi posse. Verùm ne quid intentatum relinquatur, marrubij succum ex melle ægrum deuorare iussimus singulis diebus: tum & interiectis temporibus scyllam lambere, donec vermis ex eius pectore vnā cum tussi propulsus hominem sanitati restituit.

AN-

ANNOTATIO.

VERMES in intestinis reperiri frequenter cōtingit, qui & quandoque vomitu reiiciūtur: sēpissimē verò per inferiora descendunt. In pectore autem & pulmone gigni, atque cum tussi expelli, inter rarissima & admiranda numerandum: atque ideo quidem magis, quod pulmo assiduè moueat, locum quo hærere ac quiescere posset nullum vermi relinquens. Nec minus admirandum est & in vesica nasci vermem: quod tamen cuidam viro accidit, cui in vesica existens, multis modis molestus fuit, quandoque etiam sanguinis mictu provocato, donec tandem per penis meatum sponte egressus, finem doloribus imponeret.

Calculus vi sua decifus.

CAPVT LXXVIIII.

NICOLAVS Rusticus calculo vexabatur, figura, vt postea conspeximus, longiore. Hic cùm ab ima parte acutior & asperior esset, vesicam ipsam incidit: tum & testiculorum tunica perfracta, post multos ac penè intolerabiles dolores, tandem in conspectum venit: quo haud magna postmodum difficultate deducto, cùm multi hominem moriturum, & quidem recte, iudi-

dicarent (neq. enim vesica cùm incisa fuerit, præsertim inferiore parte, cohæret) ille tamen præter omnium opinionem conualuit: hoc solùm ex tanto malo homini in commodo relicto, quod inde semper quoad vixit vrinam reddidit.

ANNOTATIO.

FORAMEN per quod vrina reddebat, quale Nicolao Rustico in scroto relictum fuit à calculo illac delapso, memini me quandoque videre in perinæo, non tamen ex calculo sed ab vlcere cervicis vesicæ natum: vlcere enim vesicæ ceruix si quando afficitur, non raro eousque hoc ipsum progressitur, vt tādem exesa cute perinæi, foras erumpat: Atque tunc quidem per foramen assidue vrina profluit, vlcere curationem non admittente. **Quod** in pluribus obseruatum.

Os feminis erosum.

CAPVT LXXXIX.

VRGEBATVR Rogerij Corbinelli filia in ilibus dextris dolore ferè perpetuo. Quare multis diuerso tempore vocatis medicis, cum vnusquisque pro ingenio suo (diuersi enim diuersa sentiebant) puellam curas-

curassent, & præsidia nihil omnino proficissent, è medio tandem sublata est. Quare consilium fuit incidere corpus mortuæ, & inuentum est os feminis erosum, maximâque ossis partem in puluerem redactam: nec non & circa matricis os quatuor quasi lutei tuberculi instar pilæ, quorum tres aqua opplebantur, quartus paululum præ cæteris eleuabatur, vndique dentatus, & superficie inæqualis atque durior, vtpote qui ex carne atraque bile genitus esset. Non igitur admodum mirandum est, si in eiusmodi morbis, quorum causæ incertæ abditæque sunt, diuersi Medici diuersa sentiant, & loquantur. Nā & Antonij Iaceti filium nouimus, qui cum ingenti coxarum dolore vexatus, in maximam primùm debilitatem, tum & in mortem nihil iuuantibus medicis, nihilque conferentibus præfidiis deuenisset, inciso corpore inuentus est pestifer humor in coxa, quo magna pars ossis erosa, etiam in cinereum verfa videbatur.

Calculo euulso sanata est mulier.

C A P V T LXXX.

CALCVLVM non in viris tantum, sed etiam in feminis cōcrescere certum est.

Monia-

Monialis quædam duodecimo iam die vrinam non reddebat, propterea quod ipsius vrinæ iter calculo obstrueretur, quod etiam materia multa confluxerat. Quare cum neque ænea fistula, neque medicamentis aliis vinci hoc malum posset, insolitum alioquin, sed tamen opportunum consiliū capiens, vñcū calculo iniicio, ne scilicet cōcussus iterū in vesicam reuolueretur. Tum ferramento priore parte retuso calculus ipsum percūtio, donec sèpius ictus in frusta comminuitur: & tunc omni qua potui diligentia, ne quid intus omnino laderetur, vñcum ipsum pariter ac ferramentum reduco: ex quo simul vrina atque calculis remissis statim sanata est mulier.

ANNOTATIO.

NON admodum dissimilis hæc curatio est ab ea, de qua Exemplorum nostrorum cap. XLV, scripsimus.

Ex solo vento mors subsequuta.

CAPUT LXXXI.

LODOVICVM Nicolinum generosi equitis Othonis filium vidimus, qui cū solo vento viscera & stomachum impeten-

P te adeò

re aded in monoculo afflisteretur, ut dum pars parte premitur, exitu hinc inde negato, non solum viscera & pectus, sed scapulae etiam incredibili extenderentur dolore, & spiritus magna ac miscrabilis fieret angustia, tertio deniq. dic, nihil conferentibus auxiliis, è vita migrauit. Inciso autem cius cadauere, & viscera omnia vento plena conspeximus, & in sinistro cordis ventriculo obduratum callum inuenimus, qui nucis magnitudinem æquaret. Quare ut illum, hoc est, ventum mortis ipsius, ita hunc, scilicet callum, aduersæ hominis valetudinis causam fuisse arbitrati sumus.

ANNOTATIO.

TYMPANITI quoque & hic affectus similis apparet, de qua Exemplorum nostrorum, cap. xxxviii, egimus.

Brachium ab humero diductum.

CAPUT LXXXII.

CO HÆRERE interdum membra exulcerata vel protinus in utero, aut etiam vstione consueuerunt. Nos autem puellam vidimus & curauimus, cuius totum brachiū

feruentissimæ aquæ effusione humero co-
hæserat. Cumque nemo ex prudentioribus
medicis inueniretur, qui puellam curare au-
deret (periculum enim erat, ne dum mem-
bra ipsa scalpello discernerentur, neruus in-
cideretur, & sanguis immodicus proflueret)
ego solus ut eram iuuenis hanc curam ag-
gressus, paulatim cicatricem ipsam scalpel-
lo discindo, sanguinem suppressus, donec
ad cubiti iuncturā, vbi neruus est, deuenio:
tum separatim utrumque molliore empla-
stro circundo: & quoniam extendere bra-
chium non poterat, iubeo ut grauiore pon-
dere sumpto, manu id perferat, donec pau-
latim extendatur. Quod cum ipsa diutur-
nioris temporis spatio obseruasset, ad pristi-
num tandem statum reuersum est brachiū
ipsum, sola gratia & munere illius, qui est
benedictus in secula.

Cor pilis refertum.

CAPVT LXXXIII.

JACOBVS latro è patibulo quo suspensus
fuerat, veluti iam mortuus, sed qui tamen
adhuc viueret, depositus atque curatus con-
ualuit. Verum, ut crat homo ingenio malo

P 2 pra-

prauoque, ad eadem statim scelera reuolutus, quibus antea extreum promeruerat supplicium, iterum capitur atque suspenditur. Quare hominis admirati nequitiam, mortui cadauer incidendum curauimus: & inuentum est cor eius ob eximiam caliditatem vndique pilis refertum. Hoc idem inuenatum est in corde Aristomenis Græci, qui solus perhibetur integras acies pugnando in fugam vertisse. Est ergo non tantum sceleri ingenij signum, sed quandoque etiam ræ fortitudinis.

Ex stata febri vita sublata.

CAPUT LXXXIIII.

IOANNES Architectus singulis annis stato die, hoc est, quo natus fuerat, febre implicabatur: quæ ex putrescente bile genita, suum circuitum seruans, quartum & decimum non transgrediebatur diem: donec senio confectus, & eadem ex more complicitus febri natali suo die vi morbi prostratus, naturæ concessit.

Mul-

Multitudo vermium reiecta.

CAPUT LXXXV.

LAURENTII Lanij filium vidimus, qui septimum agens annum, & triduo ex nimia lumbricorum vi ferè mortuus iacuit, solo potu ex gramine, aceto & saccharo vivens. Quarto autem die cum medicamentum ex aloë, myrrha, & croco ei propinatur, duodequinquaginta supra centum vermibus alio depositis, statim conualuit.

ANNOTATIO.

MULTOS quoque vermes puellam quandam excreuisse Alexander Benedictus scribit: frequenter vero & hoc contingit. Nota & mihi mulier fuit supra quadraginta annos nata, que grauis simis ventriculi doloribus, & nausea subinde correpta, ab assumpta hiera picra quadraginta (plus minus) vermes excœuit. Puerilis autem magna ex parte hic affectus est: sed tamen & seniores à vermibus quandoque male habent. Hippocrates aut quisquis auctor lib. De Motbis 1111. Lumbricos non modò latos, sed & rotundos in pueris, ait, dum adhuc in utero sunt, nasci, quia aliquando cum recens natorum excrementis visi sunt excetti. Eosdē vero, & alios parere, ait, quod quidem & quandoque contingere obseruatum. Nam per medicamē-

P 3 ta ex-

ta expulsi reperti aliquando nonnulli sunt alios in ventre habentes. Atque hinc sit ut post expurgatos, alijs subinde iterum in intestinis renascantur: veluti mulieri contigit, de qua scripsimus, quæ singularis mensibus præseruationis causa hieram picra assumendas; tamen aliquot semper vermes aut vermiculos excrevit. Præter vero rotundos lumbiculos, non modo lati, de quibus mox, sed & alijs quandoque generantur. Memini enim puellam ix. annorum ab assumpto vermes pellente medicamento non lumbiculos, sed ericis similes vermes reieciisse, aliquantotam breviores, multipedes, & quidem adhuc viventes. Narrat & Cornelius Gemina De Diuinis characterismis lib. i. cap. vi. varias vermu species, tum & alia per aluum excreta.

Recrementa ex naturalibus deiecta.

CAPUT LXXXVI.

PU ELLA M. quoque vidimus, quæ clauso anima meatu nata, octauo quoque die recrementa ex naturalibus deiciebat. Cumque hoc implicita malo usque ad sextum decimum annum vitam duxisset, vi tandem morbi, quod εροφὸν Græci vocant (id autem fit cum intestina circa umbilicum torquentur) miserabili cruciatu deiecta è medio sublata est.

Ver-

Vermes cucurbitini eiecti.

CAPUT LXXXVII.

IN Auinionis balneis, quæ sunt in agro Senensi, mulierem vidimus quæ continuis septem diebus aqua epota, quām plurimos tandem ex iis, quos medici propterea quodd Cucurbitæ semina imitantur Cucurbitinos vocant, vermes eiccit. Qui ita interfese, (dum scilicet alter alteri mordicus inhaereret) iungebantur, ut cum sua ipsi serie quatuor cubitorum longitudinem excederent, vnum tantum corpus, vnum duntaxat vermem putares.

ANNOTATIO.

VERMES Cucurbitini, lumbricorum latiorum nomen apud Hippocratem & alios veteres acceperunt: Cucurbitini vero etiam dicuntur, quodquædam ab hoc abrupta cum excrementis alii quandoque excernuntur, Cucurbitæ seminum similitudinem referentia. Latum autem Lumbrictum permutationem esse pelliculæ intestina intrinsecus ambientis in corpus quoddam viuum, Aetius sermone primo cap. XL. Tetrabibli tertij scribit. Hippocrates vero lib. IIII. De Morbis, connasci pueris in utero materno, asserit: augeri vero cum puer, ita ut æqualis fiat intestino. Quod quibusdam

P 4 puber-

pubertatis tempore: alijs serius fit. Posteaquam autem intestino adæquatus est, quandoque etiam maiorem ac longiorem fieri, atque vnâ cum stercore prodire; excidens veluti cucurbitæ semen. Aduersus hunc si medicamentum datum fuerit, & homo sit præparatus, totus rotundus & in pilæ modum formatus exit: si verò ab assuimoto medicamento adhuc hæreat, pars eius abrumpitur longitudine duorum aut trium cubitorum. Posteaquam verò abruptus est, nullæ eius partes longè post cum stercore exeunt: Hec Hippocrates. Vidi verò & curaui olim honestū virum ab huiuscmodi verme malè habentem, qui quandoque ab assumpta potionē purgante ex ano suo lati lumbrici vlnas duas aut tres extraxit; & post aliquanto tempore melius habere sibi videbatur. Pallidus autem hic erat, & cibum quandoque vehementer appetebat, alio tempore fastidiebat.

Frustulum carnis eiectum.

CAPUT. LXXXVIII.

IL L V D etiam memoria dignum videtur: Mulier præfocata cùm ab omnibus promorta haberetur, & de eius potius funere quād de vita cogitarent assistentes, paulatim quasi grauiori somno excitata, in molestissimā incidit tussim: qua cùm diu agitata esset, durioris tandem carnis frustulum eiecit, & sanata est.

Sed

Sed & Julianus Medicæ artis professus, dum grauiter ægrotaret, & aduenienti medico dolorem, quo circa ventriculum miserabiliter cruciabatur, exponeret, tangente illo (ut fit) ac manibus locum pertractante, erupit in vomitum: quo & ipse frustum carnis ad paruæ pilæ magnitudinem, in quo vermis non secus ac brucus in siliqua recludebatur, eieqtans, ad pristinam statim reuersus est valetudinem.

*Quæ inciso mortuo notatu digna
inuenta sunt.*

CAPUT LXXXIX.

NON videntur silentio esse prætereaunda, quæ nuper in inciso Iacobi cuiusdā furis insignis cadauere annotauimus: bifurcatam scilicet venam, quæ à liene ad ventriculum atram defert bilem, tum & abscessum in sinistro cordis ventre pituita redundantem: postremò & posteriorem eius capitis partem, ubi memoriarum sedes est, adeò breuem, ut tantillam cerebri portiunculam contineret. Quam ob causam cum priorum scelerum, & eorum quæ pro his saepe passus fuerat, tormenta scilicet, exilia, &

P 5 car.

carceres minimè recordaretur, toties ad vomitum tanquam canis impudens reuersus est, vt in laqueum tandem inciderit, vitæq. ac furti finem fecerit.

Vrina ex alienis locis emanans.

CAPUT XC.

CONTRAHITVR etiam ex matris vtero circa naturalia vitium, vt obstrutio meatus, ex quo fluere vrina solet. Vidimus enim & nos puerum quendam atque puellam nobilē hoc vitio laborantes. Quorum alter, cùm adeò meatus ipse clausus obstructusq. esset, vt meiere inde non posset, ex angusto admodum foramine, quod paullum infra glandem vrina ipsa vi sua efficerat, emingebat, sed non absque ingenti ciuillatu, & genitalis membra tumore. Altera verò ex loco qui est infra pectinem paullum supra vuluam vrinam reddebat, nullis interim apparentibus signis atque indiciis, vnde ipsa naturaliter efferri debuerit. Hanc autem nos cùm parentum rogatu curare testauerimus, & nullum huic malo idoneum inueniretur præsidium, ita vt erat incurata ad ultimum vitæ suæ terminum permanxit.

A N-

ANNOTATIO.

I STIS exemplis annumerari potest & illud, de quo cap. xxviii. tum & illud cuius Amatus Lusitanus, & nos in eiusdem cap. Annotatione meminimus.

Ex noxa illata nervis vox desperita.

CAPUT XC I.

R VSTICVS quidam cum decliviore capitis prora percussus recidisset, & alteram capitis ipsius partem oppositam ad terrā, ut par fuit, elideret, surrexit quidem, sed mutus: id autē siue ex repercussione nervorum, qui regrediuntur ex pectore, siue ex defluente materia, quae nervos illos oppleuerit, tam incertum, quam certissimum ex hoc communicatam noxam nervis ipsis, qui vocem effingunt. Nam & Galenus facile Medicorum princeps in libro, quem De Interioribus scribit, affirmat fuisse hominem, qui dū glandula illi abscinderetur in collo, & scalpellū nervos ipsos, quibus vox effingitur, incideret, ilicet factus est mutus.

A Lumbricis vexatus puer quiescere non poterat.

CAPUT XC II.

P VERVM vidimus & curauimus, qui cùm nullo modo quiescere posset, sed ita

ita semper hinc inde temerario quodam impetu & inordinato motu ferretur, ut etiam stare volens iterum titubaret & caderet, quæsitum est à medicis, quænam esset abdita causa huius mali: quod illi distensionem cum saltu putabant. Sed cùm nullam prorsus aliam inuenirent quām timorem, in quem paucis antè diebus puer ipse, nescio quam ob rem, incidisse dicebatur, idoneis secundum hanc rationem medicamentis puerum curare cœperunt: quæ cùm nihil omnino proficerent, & in nostras tandem deuenisset manus, deprehensa statim morbi causa, quam solos lumbricos esse persensimus, usque adeò ad hoc malum propulsandum facilem & expeditum aditum habuimus, ut hac sola intentione curatus puer, ad pristinam breui reuersus sit valetudinem.

ANNOTATIO.

PVEROS præcipue à Lumbricis infestari in Annotatione cap. lxxxv. scriptum. Superueniunt verò & his quandoque ab ipsis vermicibus etiam conuulsiones & comitiales accessiones, quæ tamen, eductis ac expurgatis vermicibus, ac sopitis doloribus, ut plurimum cessant.

Mulier

*Mulier ex lapsu urinam conti-
nere non poterat.*

CAPUT XCIII.

VENIT ad me mulier quædam, quæ
urinam continere non poterat: cumq.
aliquid à nobis præsidium plurimi s iam de-
fatigatis medicis exposceret, interrogo an
aliquam huius mali causam teneat. Negá-
te illa, iterum quæro cecideritne, ex quo
fortè ani sedes elisa fuerit. Cumque & ipsa
fateretur olim se de fici prolapsam, vltimā
spinæ vertebram elisisse, nullo tamen inde
sensibili percepto nocumento: & nos non
fugeret oriri ex ea ipsa vertebra neruum, qui
constringendi vesicam vim habet, huius
statim ægritudinis causam deprehēdimus.
Attrito enim ex eius lapsu neruo ipso, con-
sequens fuit, vt relaxata vesica urinam con-
tinere non posset: quod & sæpe alias ex ea-
dem causa accidisse cognouimus. Hoc igit-
tur nos malo idoneis eliso præsidiis, mulie-
rem ipsam per Dei gratiam pristinæ sanitati
reddidimus.

Calcu-

Calculus in tunica fellis.

CAPUT XCIII.

DECESSIT his diebus mulier nobilis Diamantes nomine, dolore prostrata calculi: sed cum nullum ante ex eo perceperisset nocumatum, visum est medicis mortuæ cadauer incidere: & reperti sunt lapides quamplurimi, non quidem ullus in vesica, ut putabatur, sed praeter unum, qui in tunica fellis coloris atri & magnitudine castaneæ aride continebatur, cæteri omnes in panniculo, quo contegitur hepar, vnde etiā veluti in folliculo dependuli sacculum efficerant. Hanc autem nos mortis causam rati, sapientis viri consilium esse duximus, nihil omnino de incertis & occultis morbis statuere.

ANNOTATIO.

IN folliculo fellis natos quoque calculos & nos obseruauimus: Solent autem isti subluteo colore pallere: nausea & cibi fastidio laborare: & diutinè aduersa valetudine frui. Colligi verò & in membra iocinoris cap. tertio annotatum fuit.

Ex precedentibus torminibus erosi villi, quibus vis retinendi fulcitur.

CAPUT XCIV.

INTESTINORUM tormina, quod Græci δυοευτερίας vocant, exulcerare intestina in-

na intus confueuerunt, indeque descendant
cruenta & muccosa excreminta: cumque
id malum diutius inueterascit, aut homi-
nem tollit, aut (quod forsitan deterius est)
nunquam sanescit. Nam & nos Julianum
quendam nouimus, qui cum post quadra-
ginta dies, quibus hoc morbo vexatus est,
sublatis iam doloribus ac deiiciendi cupidi-
tate, eius aluus impendiò liquidior perman-
sisset, & saepius quam par fuerat ferretur,
nullis vñquam auxiliis curari potuit, quin
semper quoad vixit, & impetum ventris co-
hibere nequiret, & vbi cunque deiiciendi
cupiditas hominem vrgeret, ibidem excre-
menta deponeret, erosio scilicet ex præce-
dentibus torminibus atque consumptis vil-
lis, quibus vis ipsa retinendi fulcitur.

Ex iisdem torminibus erosa viscera.

CAPUT XCVI.

VIDIMVS & aliud natione Areti-
num, qui cum iis item torminibus
diutius vexatus fuisset, & iisdem denique in
erodētia ipsorum intestinorum ulcera, tum
in tabem, postremò in mortem incidens,
erosa intus viscera ostēdebat: è quibus dum
ita af-

ita affectus superuixit, ut triennium non ex-
cesserit, continuò sanies effundebatur.

Morbus Comitalis.

CAPUT XCII.

ET S I nouissimus inter cæteros morbos esse soleat qui Comitalis nominatur, ignotus tamen apud multos plerumque est, ut quem nuper in puella vidimus Aretina: quæ cùm huiusmodi inuaderetur morbo, minimè (ut assolet) concidebat, minime-
quæ ex ciuore ferebatur spuma. Sed stans caput tandem hinc inde, ac si quid inspice-
re vellet, tota cum ceruice mouebat, nihil interim loquens, nihil audiens, nihil sen-
tiens. Cumque iterum ad se reuerteretur,
interrogata quid egisset, penitus ignorabat.
Causam autem perquarentibus nobis, cur
puella, cùm comitali afficeretur morbo,
non concideret, visum est ex hoc conting-
ere, quod contractio & tensio ad cerebrum
non ferretur, cùm solus vapor sursum af-
cenderet. Ex quo nullo rigore cerebrum ip-
sum intentum ab inordinatis motibus reli-
qua membra præseruare poterat. Quod
autem puella ipsa hoc morbo laborasset, &
medici omnes quicunque eam viderant,

affir-

affirmabant, & rei euentus facile comprobauit: cum prorumpentibus menstruis hoc malum euaserit. Nam ut quandoque in pueris Venus, ita in puellis menstruorum initium huiusmodi morbum tollere solet.

A N N O T A T I O.

MEMINI & ego virginem xx. annorum me curare subinde conuulsam & manus clausas habentem, quae non concidebat, sed toto accessio-
nis tempore sedens permanebat. Cum autem oc-
casio ex utero esset, adhibitis idoneis remediis, bre-
ui sanitatem recepit. Huius affectus non dissimilis
videtur ei, quo Aretina puella laborauit. Ex utero
autem laborantibus varia superueniunt sympto-
mata, & sepenumero haud similia.

Elephantia.

CAPUT XCVIII.

LONGIS morbis annumeratur is quem
ελεφαντιαν Græci vocant: qui in Italia
pene nunquam visus à medicis vix dignos-
citur. Peregrinum quendam vidimus in
grabatulo iacentem, cuius summa corporis
parte maculis quibusdam ad atrum colore
vergentibus inficiebatur, & cutis inæquali-
ter aspera crassaq. & veluti squamis fœda ac

Q

liuens,

liuens, diuersis etiam locis mollis ac dura ostendebatur: quin & ossibus ipsis, vt videbatur, iam vitiatis, & vniuerso corpore macie ac tabe confecto, ita surae ipsius os, pedes & manus intumuerant, vt vtriusque partis digiti sub tumore ipso conderentur. Quare cum adhac mala etiam febricula quædam addicretur, quæ hominem absumeret, vnius tantum mēsis spatio è vita migravit ad Dominum. Parcat igitur Auicenna, qui Elephantiam pedum tumorem dixit: cum hec non solum pedes, sed vniuersum corpus afficiat, & species lepræ sit, quæ apud nostros nondum visa: apud Paulum probè descripta notatur.

ANNOTATIO.

ELEPHANTIASIS Græcorum ab Elephantia Arabum multum differens est, vt nostrorum exemplorum cap. L I. annotatum. Temerè hic Auicenna carpitur, quod Elephantiam tumorem dixerit pedum: Nam Elephantiasin Græcanicam Auicenna, & reliqui Arabes Lepræ nomine comprehendunt. Tumorem verò pedum Elephantiam idcirco appellant, quod pedes crassi Elephantinos referre videantur.

*Ex ea
auctoritate
et iudeo a. 1600
et 1601*

*Ex calidore materia caput impetente
furit ac moritur puella.*

CARVT XCIX.

IN S A N I A E tria sunt genera, & acutum quodlibet. Vnum cum in accessione febris, aut in suo vigore desipit æger, & aliena loquitur, sed tamen leuata febre statim resipit. Alterum, quod Græci φέρεται vocant, cui semper dementia comes est. Nam licet inter morbi initia resipere interdum videatur æger, eius tamen mens quibusdam semper imaginibus agitatur. Tertium vero genus est lethale magis ac pestiferum, cum scilicet æger ipse non solum perpetuo desipit, sed & quæcunque agit, impetu quodam & violento motu operatur. In huius autem generis lethalem insaniam cum nobilissimi cuiusdam viri filia prolapsa male ageretur, & nos ad eam intempesta nocte vocati accederemus, adco furentem puellam inuenimus, ut dum hinc inde se se violento quodam impetu iactaret, quicquid interim obuium habebat, dentibus arriperet, frangeret, laniaret. Ex quo proprios capillos, brachia, & manus, & si quid præterea aliud arripere poterat,

Q 2

terat, ita imordicus, nullo habitu discrimine suumne an alienum esset, apprehendebat, ut nisi scissum ac proris laceratum ex eius dentibus eripi non posset, adeò ut vinciri puellam oportuerit, ne sibi aut alteri noceret. Veram cùm paucis post horis furor illi remitti coepisset, in somnum incidit grauiorem, quo (tametsi nostris praefidis, studio & diligentia regre cederet) vix tandem excusso, ab insania quoque puellam ipsam liberauimus. Sed ut est ingenium mulierum, præsertim nobilium, cùm sanitate adepta nihil eorum, quæ protuenda firmandaque valetudine iniuncta fuerant, obseruasset, & sua viueret libertate, post integrum mensem quo pristina uisa est valetudine, in eundem ihoodit morbum: à quo cùm nullis ualquam auxiliis potuerit à medicis liberari, unius tantum diei spatio è medio sublata est. Si quis autem huius morbi causam quiebat, nos quantum conjectare licuit, materia credimus fuisse calidiorem, sed paucam tamen, quæ cum caput peteret, suo & incendio & immobilitate puellam furentem fedderet. Et q[uod]oniam caput ipsum frigidore materia oppletum fuerat, hanc quoque, cùm & ipsa (ut creditur, & par fuit) exagitata fuisset,

fuisset, priore illa materia extincta ac resoluta, ipsum deniq. profundiorem somnum puellæ fecisse putamus.

ANNOTATIO.

De Maniaco etiam quodam cap. x. In nostris exemplis scriptum est qui aliquando in eundem affectum relapsus, tandem ex Hæmoptoico tabidus factus est.

Vermis enare projectus.

CAPUT. C.

SOLET interdum acutus & pestifer dolor in capite excitari, quem Græci οὐφαλαλγίαν vocant, sed talem, quo caligent oculi, alienetur mens, citetur vomitus, supprimatur vox, frigescat corpus, & ipsa denique deficiat anima, ratum est videre. Nam & nos amicūn habuimus Philippum nomine, qui cùm his omnibus ageretur malis, & aduentante die septimo mors ipsa, nullis conferentibus auxiliis, iamiam adesse videbatur; vi tandem robustioris naturæ vermē ex dextera nare palmo longiorem eiecit: quo propulso, omnis statim cum eo amotus est languor.

ANNO



ANNOTATIO.

VERMEM vehemētis doloris capitī causā in cerebro natūm fuisse satis apparuit. Nasci verò & illic quandoque vermem Auicenna etiam scribit, & Iacobus Höllerius nostra ætate visum affirmat. Idein & Italo scorpiū ex frequenti Ocy-mi odoratu natūm refert. *Quibusdam*, inquit, vermes generantur in cerebro. *Id rārum esse scripsit Auicēna*, quod tamen memoria nostra visum est. Et cūdam Italo ex frequenti odoratu basilice herbe natus scorpio in cerebro, vehementes dolores & longos, ac mortem de-nique attulit. Lib. De Morbis Internis primo, cap. primo.

Gigni-verb & quandoque vermes in auribus, formam habentes nucleorum strobilōn nucum pi-nearum, Valesci Tharantani testimonio constat: tūm & Arnoldi Villanouani cap. 32. lib. 3. In dentib⁹ verò & reperiri haud infrequens est. In ano autem nasci vermiculos, Ascaridas dictos, omniū scriptis proditum est.

Spasmo Cynico mortua mulier.

CAPUT. 1.

CVM imperitus quidam Medicus cui-dam mulierculæ ex gena dextra tuber-culum furunculo simile scalpello abscidis-set, nulla habita ratione nerviorum ac venu-larum, quibus illud, cum semioui magni-tudinem expleret, alligabatur, illicò subse-quuta

quata est inflammatio ac dolor, ex quo simul infelix mulier in eum incidit morbum, quem Græci νυμὸν σπασμὸν vocant: quo dum misellæ illi temerario quodam motu perueritur os, & facies modò in dexteriore, modò in sinistriore partem distenditur, ac totum denique corpus pallore quodam suffunditur, adeò afflictatur mulier, ut cùm neque sanguinis missione, neque alii ductu, neque vunctionibus ullis, neque alio quoque genere auxiliij hoc malum inhiberi posset, intra paucos dies è vita migrauerit: hoc nobis suo ipsius infortunio documentum relinquens, vt cùm scilicet oportuerit, non passim nos omnibus, qui sibi chirurgici nomen usurpant, sed his tantum qui doctrina simul usu & iudicio præualét, credamus.

Gelatus.

CAPUT CII.

PO S T graues diuturnosque labores, quibus per ingētia frigora turbido & pluuiō cœlo, per flagrantissimos æstus diu noctuq; perequitans se se fatigarat Antonius Collensis, in difficultiorem tandem incidit ægritudinem: qua statim vt corripiebatur (quod

Q. 4

sepe

sæpe homini contingebat) amissa ilicò me-
moria sensuque, eodem quo erat, dum ab ea
inuaderetur, habitu perseverabat, patentia-
bus etiam & inconniuis oculis: si enim inter
ambulandum contingebat hoc illi malum,
ambulabat: si inter quiescendum, quiesce-
bat: si verò inter aliud quodvis agendum,
tantis per ipsum agebat, nihil interim au-
diens, nihil loquens, nihil cognoscens, do-
nec cedente morbo ad se regrederetur, &
tunc etiam nihil eorum quæ egisset remi-
niscebatur. Ex medicis autem qui homi-
nem viderint, aliis virtutem, quæ discernit
& vnit coniungitque, læsam esse iudicantib-
us, eiusque noxam cæteris ventriculis iun-
ctum iri volentibus, adeò ut memoria ex
hoc & communis sensus intrinsecus pate-
rentur: aliis aliter, & quidem argutius, &
morbum & causam explicare conantibus:
nos hominem gelatum dicebamus: cùm
huius morbi notæ, quæ per se satis eruditio-
ribus eas vestigare volentibus manifestæ
sunt, eiusmodi detegerent ægritudinem. Fit
autem id malum ex nigriore bile postre-
num ventrem cerebri impetente, quæ sta-
tim memoriam tollens, sua etiarn siccitate
cæteros ventres contrahit: quibus clausis
tollitur

tollitur pariter sensus & motus, & quoniam frigidior est, hominem gelat. Quibus verò medicamentis ad hunc morbum profligandum usi simus, propterea quod eius cura notissima est, intexere superfluum iudicavimus.

ANNOTATIO.

EXEMPLVM istud Catocho laborantis est: quem & Catalepsin appellant. De nonnullis verò & Catocho absque febri detentis in Medicinalium Observationum nostrarum exemplis cap. v. & vi. scriptum est. Catocho quoque affectus fuit Hieronymus Bensi, priusquam in Comitiam laboretur; de quo superius cap. quadragesimo sexto.

Tensio nervorum cernieis.

CAPUT CIII.

GRAVIORIBVS morbis obnoxia cernix est: sed inter cæteros importunior acutiorque, qui rigore quodam nervorum erectam ægri ceruicem intendens, eum saepe vel intra quartum diem interimit. Quo morbo cum Parmensis quidam Franciscus nomine grauiter vrgeretur, & nos ad eum vocati, hominem robustioris naturæ, & qui turgentibus venis faciem etiam atque oculos rubicundiores haberet, inspiceremus;

Qs sangu-

sanguinem statim ex ea vena, quā *κεφαλικὴ*
Græci vocant, mitti iubeo. Tum parciore
viectu, hoc est, sola aqua ex melle hominem
cibans, hircino atque caprino oleo deton-
sum madefacio caput: superque imposito
pileo, alium etiam his medicamentis duco;
quibus à capite ipso ac cæteris superioribus
partibus diduci resoluiq. possit humor, qui
huius mali causa fuerat, ex quo ocyus adfuit
illi sanitas, quām mors adfutura putabatur.

A N N O T A T I O.

RIGOR neruorum ceruicis, rectam & immo-
bilem eam reddens, *τέταρτος* Græcis dicitur,
conuulsionis species, per quam, vt Galenus ait lib.
De Musculorum motu, partes immotæ in contra-
ria trahuntur à musculis oppositis. Conuulsionis
enim, quæ absque motu fit, tres sunt species: *ἐμ-
προσθότον*, ad anteriora: veluti cùm mentum pe-
ctori annexitur: *ἐπροσθότον*, si ad posteriora; vt
dú caput ad scapulas pertrahitur: *τέταρτον*, cùm in-
neutram partem immobilis ceruix intèditur. Acri-
tus autem & vehemens affectus est. Memini olim
me cuidam adesse, cui cum maximo dolore ceruix
rigida in nullam partem inflecti poterat. Huic pri-
mum fomentum adhibuimus: deinde aurea dicta
catapotia dedimus, quæ summo cum labore deuo-
ravit. Subsequente autem ex his larga purgatione,
à dolore & neruorum rigore citò liberatus fuit.

Ex ab-

Ex abscessu gula homo penè iugulatus.

CAPUT C IIII.

ALIVD quoque morbi genus circa fauces oriri consueuit, & id interdum pestiferum acutumque: quale in Alexandro Serralio nuper vidimus, cui neque rubor neque tumor ullus intus in gula, aut extra ostendebatur, sed aridum corpus erat & squalidum. Cumque nihil omnino alimenti demitteret, sed quicquid absumeret statim reiectans vix spiritum traheret, & vox ad eō faucibus hæceret, ut ne mutire quidem posset, iugulari prorsus hominem putares: nos tamen & urgentis morbi & ægri virium ratione habita, utile & præsentaneum remedium duximus, sanguinē mittere: tum & cucurbitulis natibus affixis, deducere humoreni conati, frictionibus simul aliisque præsidiis, quæcunque extrinsecus iuuare hominem poterant, tantisper utendum censuimus, donec ægri fauces detumescerent. Verum ubi malum his omnibus auxiliis non modo cedere aut leuari, sed in horas vehementius ac contumacius fieri aduertimus, omni abiecta spe, ægrum, tanquam

quam proxima nocte moriturum, Deo & naturae reliquimus. Hunc autem cum assistentes, veluti iamiam spiritum exhalatum, signo crucis ex more in auroram usq. singulis momentis consignarent ac munirent, ecce statim a summis ægri faucibus tam ingens ex adaperto intus abscessu purulentæ materiæ vis effertur, ut homine penè iugulato, catinulum, in quo recepta est, ad summum repleret labrum. Qua expulsa, statim resumptus est spiritus, & æger, qui iam pro mortuo lugebatur, veluti ab inferis remeans, paulatim corualescere cœpit, donec integrum consequutus est sanitatem.

A N N O T A T I O.

TONSILLARVM inflammationes quandoque adeò magnæ sunt, ut gutture occluso (vtraque videlicet tonsilla affecta) nec eibus nec potus transmitti queat; vel non absque summa difficultate. Tumores vero & quandoque ita augmentur, præsertim ad suppurationem vergentibus inflammationibus, ut ore hinc nequeunte, dentes cohæreant: ac strangulationis periculum imminent. Abscessu vero ruptio, copioſoque erumpente pus, solutio fit, & ore patulo, gutturis quoque meatus patet. Initio venæ sectio necessaria: deinde inflammatione ad suppurationem tendente, utiliter cōficiētia cataplasmata etiam foris gutturi applican-

plicantur, interim ab aliis remediis non cessandū, quæ recta medendi ratio postulat.

*A vitio lienis curatus.***C A P V T C V .**

LIENIS AVITIO AFFICIUNTUR QUAMPLURIMI: Horum sinistral pars tumens ac durior prementi renititur. Quod si diu perseverat (nam interdum perpetuum id malum est) tumescunt crura: & si vlcera præterea innascuntur, vix sanescunt. Multos nos tali vitio affectos curauimus: inter quos vnū , quem, cùm septenio hoc morbo vexatus frustrè multa consilia, ac penè infinita præsidia expertus fuisset, solo tandem cappari, qui tali ægritudini aptissimus cibus est, solaque vi aquæ, in qua faber ferrarius sæpe candens ferrum extinguit, annua potionē liberauimus: tanta scilicet in eiusmodi aqua contra hoc vitium inest vis atque virtus. Unde & compertum est, animalia quæ apud fabros educantur, perquam exiguos habere lienes.

*A morbo cœliaco curatus.***C A P V T C V .**

IN ipsius ventriculi porta morbis innascitur, qui à Græcis noīlandis appellatur. Du-

resce-

refcere sub hoc venter solet, & torminibus premi, aliusque ipsa adeo nihil reddere, ut ne spiritus quidē infrà, sed nec suprà erumpere possit. Paulus pater meus haud medicis ingenij ac doctrinæ vir hoc morbo male vexatus, cùm diu multa ac varia auxilia, sed frustrà, expertus fuisset, clystere ex solo lacte condito in ventrem iniecto, ac multis subinde strigmentis depositis, ad pristinam reversus est sanitatem.

ANNOTATIO.

PAULVS Aegineta Cœliacum morbum Lienterias ac fluxus ventris speciem facit. Apud Galenum verò lib. ix. De Compos. Medic. secundum loca Dysenterias similis esse appetet. Nam communia quædā & Dysentericis & Cœliacis illic remedia extant. Sed Cornelius Celsus lib. IIII. cap. XII. Huiuscmodi affectum κοιλιακὸν nominat. Græci, ni fallimur, κοιλικὸν appellant.

Ex tenuioris intestini morbo sanatus.

CAPUT CVI.

IN tenuiore intestino acutus interdum & pestifer oritur morbus, ex quo etiam supra umbilicum intolerabile excitantur dolores, nec spiritus ullus transmittitur: & non solum cibus ipse, sed stercus ipsum plerumque

que per os redditur. Vomitus autem varius aut niger existens, grauioris etiam odoris est. Tali igitur morbo adeò Laurentius amantissimus frater affectus est, ut cum neque missio sanguinis, neque alui ductio, neque aliud quodvis idoneum auxiliūm hoc malum frāgere posset, materia tandem ad nervos prolapſa, in morbum incidit comitalem. Quo breui & in mortis discriben ad ductus, cum triduo hoc habitu iacuisset, nihil omnino degustans, à medicis derelictus est. Verūm die quarta, ubi paululum reuiscens vinum lambere occēpit, resumitur spiritus, & morbus paulatim vi naturæ propulsus, præsidij cedit, donec tandem per Dei gratiam penitus sublatus, hominem sanū reliquit: quod non prius tamen effecit, quam exactis quatuor mensibus, à die quo primū ille huiuscmodi affectus est morbo.

*A morbo vuluae inedia liberata
est mulier.*

CAPVT CVIII.

VEXARI vuluae morbis ut mulieribus cōmune, ita sanè inauditum sic vexari, ut patiens nullum cibi genus deuorare queat.

queat. In cœnobio montis Cœli monialem vidimus, quæ cùm huiusmodi vuluae morbo grauiter afflictaretur, ita prorsus quamcunque illi subministrasset escam fastidiebat, vt quodam veluti impetu æstuans stomachi, eam statim vt acceperat, vomitione propelleret: quod nos ab irresolubili & crassiore vento, qui à vulua ipsa versus stomachum ferretur, fieri putantes, multa pro re ac tempore adhibuimus auxilia: quæ cùm nihil omnino proficerent, & ad decimum ipsa iam diem sola panis bucella (quod mirum est) vitam traduxisset, vi tandem inediae deuicta ac penitus profligato morbo, ad pristinam reuersa est mulier sanitatem.

Aqua inter cutem eliso utero propellitur.

C A P V T C I X .

ACCIDIT interdum casu & fortuna sanari nonnullos, quos medicina curare non potest. Mulierem scimus, quæ dum aqua inter cutem adeò laboraret, vt nulla de salute eius superesset spes, nescio quo spiritu impulsa, de eminenti quodam loco ad terram deuoluitur, & utero ad lapidem eliso disiectoque, ita prorsus omnis effusus est humor,

humor, ut quæ puerum optimensem gestare videbatur, enixam crederes. Sed nec multo post aut tempore aut labore idoneis ad hanc rem adhibitis præsidis penitus sanata est mulier.

ANNOTATIO.

SIMILDE huic accidit mulieri, quod Asciticis, quibus dissecto abdomine aqua emittitur, de quo Paulus Aegineta lib. vi. cap. l.

Alapa mortuus.

CAPUT CX.

EXORTA inter duos iuvenes lite, cum alter alterum extento brachio alapa percussisset, in morbum statim, quem *ἀποπληγίαν* Græci vocant, resolutus vapulans, paucis etiā horis strangulatus interiit. Quare conuocatis medicis (in vinculis enim detinebatur reus) quæsitum est de causa mortis ipsius. Verum aliis in ictum ipsum, quo materiam commotam fuisse putarent: aliis in humidiorem locum, quo diutius obdormierat: nonnullis etiā in lautiorem victimum & potum pleniorem, quo dum vixit est usus, huiusmodi mali causam referentibus, indiscutsum apud præsidem remansit iudicium. Nouimus item fullonem quendam

R nomi-

nomine Petrum, qui vnicō pugno stomacho cuiusdam iuuenis violentius impetito, hominem interemit.

Gemini pueri.

CAPUT C XI.

GE MINOS nasci nullus dubitat, sed ita nasci, ut indistincti sint, monstruosum. Mulier quædam Alexandra nomine, ex Mediolanensi agro Florentiam veniens, geminos mares quæstui spectandos dabat: quorum alter integer toto corpore, distinetisque membris erat: alter verò ita scapulis alterius iungebatur vetriculo, ut illo totū caput inieciisse videretur: cætero verò corpore ab eo seicutus, non secus illo de māmilla matris lac exugente mouebatur, ac si ipse pariter sugeret. Sed & sub id ferè tempus vidimus & alios geminos, qui ab humero ad plantam pedis coierant capite excepto, alter sinistro, dextro alter, ubi iungebantur, carebat brachio. Coxa, crus, & pes unus ac communis erat. Altera tamen corporis parte integra seicutaque distinguebantur.

ANNOTATIO.

GEMELLOS uno eodemque tempore concipi vulgaris est opinio, cui accedunt, quæ in lib. De

lib. De Diæta Hippo. scribuntur. Vbi quomodo
gemelli fiant ostenditur. Rarior superfœtatio est,
quæ tunc fieri dicitur, quando post vnum alter
multo tempore concipitur; & adeò quidem rara
hæc est, vt nonnullis impossibilis habeatur. cuius
tamen manifestum in honesti ciuis uxore exem-
plum apparuit. Peperit hæc filium plenè gestatum
anno M. D. LXX. Decéb. die vii. hora decima ves-
pertina, succedéntibus omnibus, quæ ad felicē par-
tum requiri solent. Postridie verò qui erat octauus,
eadem hora, præter expectationem obstetricis, ac
sui ipsius, peperit eadem fœtum alterum, sed non-
dum quadrimestrem, vt potè cui neque oculi, ne-
que nares, neque os paterent, quem idcirco post
conceptum fuisse satis manifestum. Superfœtatio-
nis exemplum habet & Bernardus Gordonius
cap. ii. particulæ vii.

ANTONII BENIVENII
EXEMPLORVM MEDICINALIVM,
sive de abditis morborum et sanatio-
num causis libri

FINIS.

R 2 MEDICINALIVM

M E D I C I N A L I V M
O B S E R V A T I O N V M
E X E M P L A R A R A :

E X L I B R I S D E C V R A N D I S
morbis Valeſci Tharantani Medici
clariffimi, qui ſcripsit
anno 1418.

*De dolore & torminibus inte-
ſinorum.*

Novi iuuenem viginti annorum, qui habuit torturam intestinorum, & in tempore ætatis post labores itineris, tunc vnius volens ipsum curare, applicuit ipſi ſuper ventrem filices mafactos in aqua frigida, & ligauit, & fecit quod ſtaret, vel iaceret ſuper ventrem, & intra quartam vnius horæ fuit curatus à tortura. Credo hoc fuiffe ex caloris naturalis adintra reuocatione conſumentis ventofitatem; vel ex alteratione male complexio- nis membra vel humoris ibi miſſi. Et iſtam experientiam videtur conſirmare Auicen- nae con-

næ consilium , qui in causa calida iubet fieri emplastrum cum rebus frigidis , vt cum solastro , & pampinis vitium . & credo quod hoc iubet post vniuersalia , vel vbi est mala complexio calida cum paucitate materiæ ad alterandum Lib. 4. cap. 28.

De vermis aurum.

DICO quod vermes etiam in aure ali-
quādo generantur: & ego vidi expelle-
re ab aure vnius iuuenis febrē habentis acu-
tam duos aut tres vermes ad formam gra-
norum pini ; erant tamen grossiores; & sa-
natus fuit homo. Lib. 4. cap. 30.

ANNOTATIO DODONÆI.

In auribus vermes gigni, satis ex iis constat, quæ apud Dioscoridem , Galenum ac Aëtium de Calamintæ facultatibus scripta sunt: sed tunc præcipue quando diuturnis ulceribus laborant: vt in Euporistis Dioscoridis planè ostenditur, his verbis:
Vermes in diuturnis ulceribus generatos interimunt hæc:
Oleum amygdalinum. Calamintæ succus, &c. Idem non minus apertis verbis VII. De Simpl. medi. fa-
cult. apud Galenum etiam habetur.

*De urinæ incontinentia ab exciso
vesicæ calculo.*

Ego vidi mulierem ferè quinquaginta annorum, quæ urinam retinere non poterat: imò sicut continuè urinam ad vesicam per poros urinarios delegatur, sic etiam per collum eius exterius emittebatur. Et hoc accidit quia unus indoctus chirurgus abstracterat illi duos lapides à vesica incidendo in collo vesicæ. in qua incisione incidit laceratum dictum collum vesicæ constringétem: & erant illi lapides ad albedinem accedentes: & quantitas unius erat sicut ouum columbi; alterius autem sicut ouum carduelis.
Lib. 5. cap. 18.

De Vetula cui post casum canorum capillorum, & dentium, renati sunt nigri capilli & noui dentes.

DIGNVM est quod illa quæ in medicina raro accidit in voluminibus conscribantur. Retulit mihi mulier in aliis milles, quod in quodam monasterio, in loco qui dicitur Monuerus, fuit quædam Priorissa, cui per multum tempus propter senectutem

Et utem defecerunt menstrua, & tempestiui
venerunt in vertice cani, & ferè omnes ceci-
derc molares, vberum verò paruum aut
nullum apparebat vestigium, & rugæ in fa-
cie profundissimæ apparebant. Factum est
itaque, vt quicquid de capillis & pilis orie-
batur & crescebat, totum nigrum pullula-
bat, & exibant dentes & molares, sicut mos
est in infantibus fieri; sic etiam oriebantur
menstrua, ac, vt in iuuenculis, abundanter
fluebant. Mammillæ verò velut in virginis
eleuatæ fuerunt, montuosæ: rugæ eu-
nuerunt, & facies pulchra intantum, quod
illa honesta & religiosa monialis Priorissa
verecundabatur; & vixit per multum tem-
pus in religiosa vita. & hoc fuit quasi my-
sterium rarò contingens. lib. 6. cap. 12.

*De muliere quæ post sexagesimum etatis
annum tres liberos peperit.*

Ecō vidi mulierem bonæ habitudinis,
quæ post sexagesimum annum habens
menstrua concepit, & peperit filium, &
continéter habuit duos filios, & erat in sexag-
esimo septimo anno quando habuit vlti-
mum filium. Erat autem femina carnosa,
& musculosa, & fortis. Ibidem.

De Mola ventosa sine inflatione uteri.

Ego tempore pueritiae meæ, dum ad discerem artes liberales Vlissiponæ, vidi quod quædam Iudæa credidit se prægnantem, cui fuerunt præparata omnia quæ sunt necessaria, & dum obstetrices matricem traharent, tanta ventositas sine ullo alio liquore exiuit à matrice, quod fuit mirum: & hoc per totam ciuitatem Vlissiponæ & per totū studium fuit deuulgatum. Lib. 6. cap. 15.

M E D I C I N A L I V M
O B S E R V A T I O N V M
rara exempla, ex Libris Alexandri
Benedicti qui vixit anno
1483:

De Cerebri concusione.

 vi ex trabis percussione obmutuerat, suadentibus viribus sanguinem ex manu detraximus intrepidè, impo-
sito ex hedera cum rosaceo emplastro bregmati, sine vino carneque, contentus ptisana & intrita panis, sine ullo potu

potu (nam aquam nolebat) & quoniam senex viribus valebat, eo victu ad decimum quintum diem, sermone carentem decrepitum, prosperè duximus: sequenti die loqui cœpit, paucisque sequentibus diebus, ex toto ex periculosa cerebri conquassatione præter omnium opinionē personatus est.

Huius exempli fidem faciunt Hadrienses ciues, quoniam hic senex inter primarios horum habebatur. De Curandis morbis lib. i. cap. 5.

De Catocho ex vermibus.

C^VM Cydone essemus in Cornelio domo, puella quæ octauū nondum compleuerat annum, in febri ardētissima, somno primū, deinde intentis oculis Catocho correpta est. diebus septem nihil hauriendo, præter ius pulli, in quo portulaca decocta fuerat. Iacuit hæc pallida, muta, sine sensu & motu, grauiter respirans. In hac suprema filiæ desperatione, mater ex melle glandem in aluum subdidit, qua sine fordinibus duos & quadraginta vermes in globi modum extulit, & statim ad vitam filia rediit. Ex his ventris animalibus caliginosi va-

R 5 pores

pores cerebri omnes sensus comprehendendunt. Lib. i. cap. 26.

Vulneratis sanguinis profusionem quan-
doque prodesse.

VIDI MVS vulneratos post sanguinis copiosum profluum, sine detractio-
nis metu, paucis diebus liberatos. In castris quendam Chirurgum vidimus, nobilem iuuenem in humero vulneratum curan-
tem; cui linteolos protinus vnlneri admoue-
rant amici cōtra sanguinis profluum; lin-
teolos statim amouisse, nescio quid in vul-
nere perquirerentem, dum amicos de profu-
sione larga sanguinis conquerentes frustra-
retur; sanguinem pro ægri viribus citra ani-
mæ defectum fluere permisit, haud igna-
rus, quomodo ægrotantem tutum à spasmo
reddidit, quem octauo circiter die per cu-
biculum ambulantem vidimus. Lib. i.
cap. 47.

ANNOTATIO DODONÆI.

VULNERATA aliqua parte subinde co-
piosus ad eam sanguis fertur, & nisi suppri-
matur affatim profluit. Tunc si citius quam par est
sanguis supprimatur, circa vulnus hærens inflam-
mationem excitat, vulneris curationem remoran-
tem.

tem. Non abs re itaq. sanguis è vulnere aliquousque fluere permittitur. Sic enim ab inflammatio-
nis periculo pars vulnerata liberatur.

*De sene nonagenario vulnero frontis
à cæcitate liberato.*

OMN E S senectute visu hebetiores fiunt:
aliqui ad octogesimum annum sine
specillis, vt Laurentio patri meo contigit,
clara oculorum acie vitam duxere. Vi-
dimus senem visu hebetiorem nonage-
narium Hadriæ super frontem vulnera-
tum, cæcitate & vulnere pariter liberatum.
Lib. 2. cap. 1.

ANNOTATIO DODONÆ I.

SI C & mulieri quæ quinquaginta annos exces-
serat, frontis vena ex casu ab alto vulnerata, ef-
fluente multo sanguine, libera & expedita facta est
elocutio, & linguae eius impedimentum solutum,
quod ab Apoplexi, qua aliquot ante mensibus la-
borauerat, fuerat relictum.

*Venæ in naribus sectio mortis cau-
sa extitit:*

NO STRA ætate Venetiis tonsor qui-
dam cum in naribus pilos incommo-
dos for-

dos forpice conscinderet, venulam incautè secuit, tantoqué impetu sanguis erupit, vt fistendi modum medici plurimi non adiuuenerint: & ille miserè vitam finiuit. Lib. 4. cap. 4.

De virginē quæ aliquot mensibus à cibo abstinuit.

QVIDAM non appetunt, quia membra non resoluuntur: Sicuti in quadam, ætate nostra, virginē sacerdotali, quæ inediā (pudet referre) pluribus mensibus sustinebat. In miraculum Romæ Patribus venerat, vnde experimentum pluribus custodientibus dedit Columba nomine.

Quidam etiam Venetiis 46. diebus continuis iejunus fuit, habitudine membrorum frigida, crasso phlegmate intus concocto, meatibusque corporis adstrictis. Lib. xi. cap. xi.

Fætore interfectorum canum pestilentiæ luem cessasse.

EX E M P L V M vnum nō prætermittam. Ætate nostra memorandum, quod ratione physica confirmatur. **Q**uidam mercator Cretensis nobilis nobis narrauit, cum in Tauri-

Taurica regione negotiaretur, & saeuissima pestis orta esset aëris vitio, quo finis moriendo non erat, in ea summa hominum strage à se medicum visum loci eius incolā, nam Sarmatæ ea loca tenent, qui canes omnes interemptos passim per vias perque vicos omnes abiici iussit, qui distenti & putridi tetro odore cœlum impleuerunt: quo remedio statim ciuitas sanitati restituta est: & Sarmatas id remedium factitare solitos. putrescentes enim canes aëris naturam immutant, quæ hominibus duntaxat exitialis erat. Ita enim dissimilitudo facit & rerum discordia, nam venenum veneno interdum debellatur, quod etiam Zoar quidam inter posteriores Physicos affirmat. Lib. De Peste cap. 6.

ANNOTATIO DODONÆ I.

FOETOREM ac fœtidā pestilentis aëris contragionē aduersari nōnulli & alij sentiūt, qui multò utilius esse rentur, asam fœtidam, castorium, vel aliud fœtens pestilentiae tempore naribus frequenter admouere, quām suauè odorata, vel pilas illas cum moscho & ambra formatas, quas plerique veluti singulares assidue in manibus gestant. Nam odoratis animales spiritus aiunt allici, patentioresque odor atus organi meatus reddi, atque idcirco ad re-

ad recipiendum infectum aërem promptiores.
E cōtrā à fœtidis & graueolentibus spiritus repellit.

De ossium abscessu.

IN homine ossa , vt facile videri potest,
circiter 248. connumerantur; ea corrum-
pi nouum non est. Sed abscessus innasci mi-
rum est, vt nuper vidimus, dum mulierem
quandam Gallico morbo interemptam re-
secaremus: causam morbi perquirendo, ossa
sub membranis suis tumcentia, & ad medul-
lam vsque suppurata inuenimus; ea duntax-
at ratione, quoniam & ipsa nutriuntur, ab-
scessibus ob id afficiuntur. Histor. human.
corp. lib. I. cap. 6.

De Cornu è vulnero nato.

VIDIMVS in Creta dum hæc conde-
remus, vulnerato genu sagitta, cornu
nigrum rupicapræ capit is simillimum pro-
diisse, materiamque quæ in ossis substan-
tiam conuersti debuisset, in corneam natu-
ram aëris afflatu facile conuersam, conti-
nueque gummi modo indurecentem. Lib.
I. cap. 14.

De vir-

*De virgine quæ acum assumptam
per vesicam reddidit.*

PUTANT nonnulli virginem ætate nostra Venetiis, quæ crinalem acum quatuor digitorum longitudine, quā inter dentes dormitura continebat, incauteque per somnum deglutivit, per vrinam post menses decem demississe maximis cruciatibus.

Lib. 2. cap. 9. De eadem.

Quidam qui inter magnos medicos habitus est, fungi frustum per vesicā emissum se vidisse prædicabat, sed acus illius exemplum per vrinam redditæ plurimos disfectionis ignaros commouet, qui eam per venas Mesenteriacas à stomacho ad iecur per venā maiorem ad renū angustias, inde ad vesicam penetrasse falsò arbitrantur, ora fibrarum in viuentibus patentiora esse ad acum & frustum fungi suscipiendum putantes. Acus enim acie sua paulatim multoque tempore intestina penetrauit, viam enim sibi facit, quo à natura propellitur, & ad vesicam qua parte carnosa est, inde per vrinam redditæ. Lib. 5. cap. 13.

De viro lactante suum puerum.

M. Maripetrus sacri ordinis equestris tradidit, Syrum quendam cui filius infans

infans mortua cōiuge supererat, vbera sēpius admouisse, vt famem filij vagientis frustraret, continuatoque suetu lacte manasse papillam, quo exinde nutritus est magno totius vrbis miraculo. Idem Aristoteles de lacte in maribus, verum, tamen, inquit, per suetum frequentiorem vel multum prodisce aliquibus traditum est. Lib. 3. cap. 4.

De virginē quæ lac habuit in vberibus.

VI D I M V S mulierem, quæ etiam cum virgo esset, quoniam infœcunda erat, menses substiterant, lacte semper diffluisse. Ibidem.

ANNOTATIO DODONÆ I.

Hvc facit Hippocratis sententia, *Si mulier quæ neque grauida est neque peperit, lac habet, huic menstrua defecerunt.* Lib v. Aphor. XXXIX.

De cruento pure per urinam in pleuritide reddito.

IN pleuritico morbo cruentum pus per urinæ meatum dare quandoque solet. Quod Helio Basso Cymbriaci nostri filio conti-

contigit in maxima morbi desperatione,
vel per aluum aliquando, ut ipsi vidimus.
hoc magis mirum est, quam quod acies
scalpelli fracta dum venā imprudens veni-
seca cuidam incautē incideret, meatus
diuersos penetrauerit, postq[ue] aurem con-
stiterit, vbi continua ferè punctionibus per-
cipiebatur, qua molestia liberari sāpe à no-
bis quæsiuit. Lib. 3. cap. 9.

*Sagitta ferrum dorso impactum post bien-
nium per inferna descendit.*

RVSTICVS in quodam seditioso tu-
multu sagitta circa dorsum impacta
vulneratus fuit: euulsa sagitta ferrum intus
in thorace relictum est. vulnus, frustra per-
quisito ferro, Medicus persanauit, quod
post biennium per inferna extulit, id mira-
culi gratia barbatæ figuræ duum digitorum
latitudinis ostentabat. Secundum enim dia-
phragma prius mucrone penetrauit, vbi
pars carnosior est, deinde secundum inte-
stina delapsum iuxta aliuū sensim podicem
secuit, viamq[ue] sibi ad exitum fecit semiexe-
sum, de qua re magna Medicorum concer-
tatio fuit. Ibidem.

S

De

*De strangulatis propter rem quamquam
in asperam arteriam delapsam.*

GVTTVR I epiglottis sub ipsis faucibus quoddam operculum linguæ postremè annexum, accommodauit, ne quid cibi potuisse in alienum delabatur iter, quoniam, si quid inciderit, spirandi meatus intercluduntur. sicut Anacreonti Poëtæ accidit, qui vuæ passæ acino necatus est. Sicut & Fabius prætor in lacte pilo hausto strangulatus est. & si ætate nostra Venetiis dum hæc conderemus anno à salute vniuersali 1483. Lucretiæ perquæm familiari nostræ simile contigerit, ea cum nucem ponticam dente frangeret, oborto risu, nux in spiritus meatum protinus respirando deuoluta est, moribunda statim concidit, in eo ancipiti strangulatu, ad interiores pulmonis partes impacta est, tum minus affligicœpit, vnde nihilominus spiritus grauior, sonantiorque obsesso meatu audiebatur: tum vitæ spē habere cœperunt, quoniam confractis quibusdam venulis, vomica in pectore exorta est, quæ tandem persanata, obsessis meatibus reciprocantis animæ rausus sonus etiamnum percipitur. Lib. 3. cap. 18.

Teli

*Teli pars post xxv. annos sternutatione
reiecta.*

QVIDAM Græcus Suirus nomine mihi notissimus Chalcidis in expugnatione tēpore sagitta vulneratus, ductus inter captiuos à Turcis, persanato quoquo modo vulnera, annis xx. vitam duxit seruile. Tandem liber Cydonem venit, postque quintum annum, dum aqua per æstatem frigida os collueret, cōcitatis supra modum sternutamentis, magno pruritu inter maximos conatus profilit è naribus sagittæ frustum dighti medii longitudine, ferrea acie, nec aliam vulneris notam reliquit. Dum id medicis Venetis inter mira naturæ referto, aliquibus non credentibus, aliis inter contentiones, ut fit, viam indagantibus. Ecce ex improviso Suirus Græcus noster, qui forte tum Venetias venerat, rebus dubiis accitus, imò fide parentibus, sagitta demonstrata, quam miraculi gratia ferebat, testimonium verissimum dedit, qui cum antea per annos x. in urbem nō venisset, pro discutienda veritate casu oblatus non credentibus, fidem attulit. Lib 4. cap. 24.

Matthiae Cornacis Philosophi & Medici
Romanorum Regis Physici Historia gestatio-
nis in utero fœtus mortui per annos plus qua-
tuor: qui tandem opera & consilio Medicorum
ex utero ita per aluum, Deo adiuuante,
executus est, & membratim exemptus, ut ma-
ter viua permanens integræ restitueretur
sanitati: atque post biennium denuò
conciperet, ut secundate testa-
tur historia.

ANNO Domini M. D. XLV. quæ-
dam conciuis Viennensis, nomine
Margaretha, filia Wolfgangi Karlinger-
cius Viennensis: vxor vero Georgij Wol-
zer, hospitis eo tempore ad ædes Rubri
cancri appellatas Viennæ: postquam antea
etiam enixa esset aliquot liberos, concepit
anno ætatis suæ xxv. omnia denique habuit
signa felicis imprægnationis. fœtum insu-
per temporis progressu sensit, ante festum
D. Bartholomæi eodem anno valentem, &
strenuè sese mouentem, vsque ad festum
D. Lucæ sacrum. Quo sanè illi tempore su-
peruenerunt partus dolores, adeò vche-
mètes, ut antea experta iam sèpius ipsa, iam

iam se crederet enixuram. Statim igitur aduocari iussit matrem, & vnam ex suis sororibus: acciri etiam obstetricem confessim præcepit. Quæ cum aduenisset, statim re animaduersa, iussit omnia ad manus esse parturienti necessaria, hæc verba adiiciens, Statim, Deo volente, puellum natum habebimus. & quemadmodum postea euenterus comprobauit, vera vates extitit. Interea prægnans in sedem parturientium consedit: & cum instanter admodum à circumstantibus mulieribus admoneretur, vrgeretur etiam ab obstetricice, omnibus nisibus elaborauit ad pariendū: in quibus heu nimium vehementibus conatibus, fragor quidam increpuit satis sonorus: quique non temere argueret, magnam vim vel foeti vel matri illatam fuisse, vel certè conquaßatum infantis caput in partes discessisse. Ab eo fragore, viuacitas foetus deprehendi amplius nullis argumentis potuit. Grauida inde maiorem in modum cœpit ægrotare: ac propterea in lectulum suum reducta & reposita est. interim lac accurrens, quod parturientibus vsu venit, vberim vbera repleuit, adeò ut stillatim etiam è papillis gliscentibus colostra deflucret, spectantibus multis, & iis

honestis ac prudētibus in mulieribus, quæ dies noctesq. assistentes præstolabantur felicem partum. Dum verò res ita protraheretur, semperque maior difficultas, minor verò spes elucesceret, deliberatum est ab omnibus, quæ tum præstò erant, & itum in eam sententiam, ut plures obstetrices accerserentur in rem præsentem, aliquod fortè salubrius allaturæ consiliū. Sed ex harum etiam aduentu nil miseræ adminiculi accessit: neque quicquam ab his in medium dici potuit, vel consuli salutare, præterquam quod vna ex iis iudicatum habebat (& fortasse non malè) rem nimis festinatam fuisse, os sacrum nondum satis hiasse. nihil itaque etiam tum effectum datum est. Gestansque uterum mulier tandem per multas septimanas grauissimè decubuit, ventris tumore, duricie, fluxu qui superuenerat, doloribus nihil remittentibus: quæ omnia, continuæ denique corporis graues afflictiones, animi percussionses, ad summam desperationem miseram videbantur compellere: effecerūtque, ut ad tentanda omnia omnium consilia animum aduerteret, ad usurpandas omnium medelas, dōctorum & indoctorum, Christianorum & Iudæorum. Quæ tamen nequic-

ne quicquam adhibitæ, auxilij nihil, plurimum mœroris & desperationis (cum res difficultis ad impossibilitatem videretur vergere) attulere. Hisce periculorum & æruminarum aceruis circumvincta, atroci insuper ventris ac ineuitabili onere summè implicata mulier, per quadriennium, usque ad annum Domini M. D. XLIX. semiuiua perdurauit. Sed quod prætereundum hoc loco non est, propter has enumeratas à nobis difficiles calamitates, misella insuper adflicta est defluxu cōtinuè putrilaginosa, qui per locum muliebrem perrumpens, totum hoc quadrienne tempus durauit: ita tamen, ut aliquando parcus, aliquando copiosius profluens, dispari ratione mulierem affligeret, cessaret tamen nunquam. Cruciatibus igitur hisce ac grauedinibus diu perstantibus, tandem natura (quæ semper individuum conseruare contendit) acore & copia putridi humoris non euicta, sed compulsa (utpote cui inferna humoris subductio non sufficeret) ad umbilicum, matricem ipsam, totum denique abdomen, multis alioquin partibus munitum perfodit. Foramen igitur factum est primò, anno Domini M. D. XLVIII. in loco prædicto, ex quo inul-

tum saniosi fœtidique mucoris profluxit. Successu deinde tēporis, post aliquot menses, adhibitis externis emplastrorum admiculis, apertio coäluit: poste aquam (vt videtur) colluuius humorū nociorum abunde excreta esset, vel aliquantisper pro necessitate euacuationis diminuta. Sed, quod effictim obseruandum est, paulò pōst anno Domini M. D. XLIX. mēse Iunio, cum scilicet multa putrida superfluitas omni conatu mox per naturam expellenda, iterum collecta esset, natura denuō eodem consilio & via, proximo in loco, non ita procul à priore apertione distante, per ventrem iterum perrupit, & affatim eduxit necessariō euacuandam purulentiam. In hoc foraminulo exhibebatur omnium conspectui & tactui, os quoddam, quod cumentus postea (resecta aluo & matrice) comprobauit, infantis fibulam sinistri brachii fuisse. Duravit iterum hæc apertio, eodem statu & effluxu, cum magna feminæ in vtero habentis virium prostratione, ad menses aliquot. Cum autem periculi magnitudo, dolorum fœtorisque intolerantia indies magis ac magis ingrauescerent, viderenturque omnia ad interitum spectare: ipsaque miserrima præcrucia-

cruciatis immēsis, animi crebris deliquiis
iamiam crederet sibi exitum imminere,
denuò iniit consilium asciscendi medicos:
si fortasse ex singulari Dei misericordia fe-
lix horula salubris consilii elucesceret: si de-
nique forte fortunā, Deo ita disponente, in
hora contingere, quod non contigisset in
annis. Vocati igitur sunt Chirurgi tres: Aule
regiae Chirurgus, Sixtus Wirt: Paulus Dir-
leuuang, vrbis Viennensis ordinarius Chi-
rurgus: & Petrus Winckler. qui cum adue-
nissent, rem omnem intuiti, atrox pericu-
lum præ oculis esse animaduerterunt: si-
mulque moderatè omnes vnanimes ref-
ponderunt, maius esse negotiū hoc, quàm
vt ipsi quippiam certi in hoc casu statuere
vel debeant, vcl possint: accersendos esse
Medicinæ aliquot doctores, quorum confi-
lia meritò accedere debeant: & si quid in re
tam ardua faciendum superesset, sibi cōsul-
tum videri, vt id ex eorum matura delibe-
ratione proficiscatur. Acciti igitur sunt do-
ctores duo, Ioannes Enzianer, & Matthias
Cornax: alter vix senex, & reuerà miles (vt
dicitur) emeritus: hic publicus Medicinæ
in Viennensi Gymnasio ordinarius profes-
sor. Qui cum venissent, aliquoties post cre-

S 5 bram

bram inspectionem, ægrè virium explorationem, circumstantiarum diligentem inquisitionem, nihil aliud videbant superesse consilij, quām vt ad sententiam Hippocr. extremis morbis extrema adhiberentur remedia, quantumuis periculosa. Decretum itaque ab iis est, de aluo aperienda. A chirurgis etiam in eandem itum sententiam. quod cum certò constitutum esset: etiam feminæ, ciusque marito & propinquis, medicorum consultum indicatum est. à quibus omnibus assensum. Stata tandem dies est, decima mensis Nouemb. anni M. D. X L I X. hora duodecima pomeridiana. Christi igitur Domini auspiciis, cum tempus statum aduenisset, rebus ritè auxiliari bus denique paratis, & dispositis præsidiis, si quid forte grauius contingeret, præsentibus Doctoribus nominatis, & chirurgis, sectio cum summa diligentia peracta est. Linea autem sectionis ex mea designatione ducta est, ab apertione ea inchoata (quæ paulò supra vmbilicum à natura, vt diximus, facta erat in latere dextro) recta deorsum per tractum musculi recti, abdomini incumbentis, longitudine plus minus octo vnciarum: hoc est, semipedis antiqui & duorum pollicum.

qua

qua facta incisione, propter necessitatem & intolerabilem fœtorem, subito contentum in utero à chirurgis vndique liberatum est, & exemptus frustillatim fœtus masculus emortuus, & semiputridus. Sequutus est hanc extractionem fœtor incredibilis: adeò enim putredo inualuerat, vt bona pars membrorum pueri consumpta appareret: caput vero totum confractum, & ossa cranei dispersa extraherentur: cerebri vero videretur nihil, nimirum quod totum putredine diuturna consumptum esset.

Absoluta hac sectione, ex summa Dei Opt. Max. misericordia feliciter mulier debita ratione, infractis laceris & rugosis uteri cavitatibus, ligata & curata est: illaque de rebus necessariis quam optimè prospectum à medicis & chirurgis. In omni autem ista administratione, misella quæ refecabatur, nullum est passa animi deliquium: sed fortis & sedato animo omnia pertulit: adeò vt Deus & Natura ipsa in conseruanda hac inoppi & ignobilifemina contendisse videantur. Successu deinde temporis, cum omnia ex singulari Dei nutu feliciter procederent, fine vlla sutura, rugis (detumescente ventre ob exinanitum uterum) coëuntibus, post-

liminio

liminio venter ab onere putrido liberatus
per optimè coáluit, & femina præter om-
nem expectationem curata est, & uterus ip-
se vnà cum abdomen & eius partibus planè
consolidatus: quinetiam ita matrice probè
restituta, menses bono ordine & modo re-
diere: ut spem etiam aliquam cōceperimus,
membro quantumuis sensibili & spermati-
co ita persanato, mulierem denuò concep-
turam, & fortasse fœtus edituram. Quod
tamen postremum, ut valdè ex multis ratio-
nibus est ambiguum, ita incertum Diuinæ
Omnipotētiæ relinquimus determinandū.

*Historia secunda: quod eadem femina denuò
conceperit, & gestauerit fætum viuum, per-
fectum, masculum, ad legitimum pariendi
tempus: quódque ex posthabita sectione,
mater vnà cum puello inter-
ierit.*

PO S T E A Q V A M supernè à nobis de-
scripta Margaretha ex sanctiss. opificis
Dci voluntate conualuisset, conuixisset de-
nique sana marito annum plus minus inte-
grum, satis frugaliter, denuò cōcepit, & ge-
stauit puerum beneualentem, & ritè suc-
crescen-

crescentem usque ad secundum diem mensis Iunij, Anno Domini M.D. L.I. quod erat legitimum tempus pariendi. Eadie cum manè illuxisset, & bellè se haberent omnia, infans robustus strenuè palpitauit, & elaborauit ad egressum vteri: mater mœsta omnibus neruis ad expellendum fœtum incubuit, præsentibus multis mulieribus sed incassum omnes conatus cessere. quapropter vocatus est Paulus Dirleuuang chirurgus Viennensis, qui anteà illam secauerat, ut in medium consuleret. ille verò præ oculis cernens graue discriminem, consuluit me etiam esse vocandum. Adueniens itaque & ego, cùm perlustrassem ventrem enitentis, vidissemque fœtū validum: matrem autem omnibus viribus, quæ ad certamen enitendi requirebantur, destitutā, cicatricē præterea veterem quasi per rimam longam hiscere, omninoque impossibile esse ut conatus feminæ tam lacero vtero, incisis per longum musculis & abdomine, tanti esse possent, qui in vtero contentum quantumvis viribus præstans, & sese adiutans, per os sacrum possent expellere: suasi cuestigiò, ventre in ferro, ut prius, refecandum esse. Firmauit meā opinionē & hoc quod rimula sectio-

sectionis pristinæ laxata , pellucens made-
bat,& per se discessionem parietum cicatri-
cis minitabatur. Hisce perurgentibus ratio-
nibus, nos vterq. compulsi , & commemo-
ratione prioris felicis euentus animati, se-
ctionem iterum instituendam censuimus,
acquiescebat consiliis nostris: alioquin mo-
ritura puerpera. Verùm enim uero mater
eius & reliquæ aliquot præsentes feminæ
assentiri nullo pacto voluerunt. interim ego
ordinatis quibusdam præsidiis confortanti-
bus, consolatus afflictam discessi: & paulò
pòst reuersus, acriter institi iterum peragen-
dæ cæsuræ. Sed perperam tum obtinuit
matris affectus, quæ cum cæteris feminis in
ea perseverabat sententia , vt Deo omnia
committerentur recta periculosa sectione:
quæ tum etiam satis tempestiuè adhiberi
posset , cum extremum anhelitum mater
spiraret. Expectatum igitur usque ad horam
decimam noctis. eo tempore infelix , cum
frustrà diu & strenuè luctata esset, viribus
omnibus exhaustis, cruciatibus oppressa
animam exhalauit. Quod cum factum es-
set, subito chirurgus prædictus vocatus est,
& citissimè ventre m aperuit: statimque in-
fantem perfectum , masculum , omnibus

numc-

numeris absolutum exemit. Ibi videre erat
(superueneram enim & ego) certamen ad-
nitentium puello vitam, quæ paulò ante
abierat, reuocare & sufflando omnia ten-
tare spiracula, sed perperam & frustrè omnia
fiebant. In promptu causa est eruditis &
anatomiae peritis: siquidem in confessu est,
vitam & motum cordis in infante à diuibus
arteriis vitalibus matris per vmbilicum fœ-
tui, seu per insitionem insertis dependere,
quæ vasa natura fabricauit pro cordis refri-
geratione. Quare cum arteriarum motus in
matre cesseret, earundem etiam motum cue-
stigiò in infante cessare necessum est: siqui-
dem fieri minimè potest, ut puer ante præ-
cisionem vmbilici, in ipso deniq. utero in-
uolutus tunicis, spiritū per os attrahat. Præ-
terea, esto quod continuatio vmbilici fœtus
à matrice sit libera, ruptis cotyledonibus
partus tempore: tamen nihilominus vmbi-
licus secundinæ adhærct, necessariò ab ob-
stetricie præcidendus: vel etiam si à secundi-
na in utero existente puello vmbilicus solu-
tus esset, tamen respirare per os non posset
infans, panniculis inuolutus: uteri præterea
parietibus inclusus, mucoribus denique &
aquositatibus circumfusus: quæ certè res se-

pe so-

pe solutos infantes, hærentes tamen diutius
in angustis faucibus ossis sacri, enecat suffo-
cando.

Cum ex prædictis itaque necessarium sit,
vita & motu arteriarum in puerpera cessan-
te, cessare etiam infantis in utero contenti
vitam & motum: impossibile est, tam im-
mediate excindi infantem posse, in eo ictu
temporis, quo anima ex matre migrat: quæ
si semel euolauerit, certè reuocari humanis
præsidiis nullo modo potest. Si autem fortè
fortunà exemptio infantis contigerit in ago-
ne puerperæ, aut in animi deliquiis, præsen-
tibus adhuc spiritibus vitalibus: tum cense-
mus omnino superuiuere infantem posse,
quemadmodum sine dubio de Julio Cæsa-
re contigit.

*Historia memorabilis de muliere, quæ annis
tredecim in utero gestauit sceletum fœtus
mortui, quod tactu cum ab ipsa matre, tum
ab omnibus illi præsentibus percipitur, scrip-
ta ad Matthiam Cornacem ab Ægidio
Hertogio Medico.*

CA THARINA quædā, vxor Michaë-
lis de Menne, viri ruralis & pauperis,
annis duodecim utero gerit fœtum mor-
tuum,

tuum, vel potius sceletum fœtus emortui, res penitus monstruosa, ac miraculo digna dici potest. Ita tamen se res habet, sic ut ipso tactu vnicuique fuerit manifestissima. Mulieris enim ventrem inferiorem propriis manibus attrectauit, non bis tervet, sed pluries. idem quoque mecum egere cum viri, tum mulieres illustrissimæ, non sine omnium admiratione maxima: quos omnes honoris gratia præterimus. At vel vnius viri hac in re testimonium oculare sufficere poterit, puta excellentiss. D. Henrici Cornelij Mathisij, qui quondam C A R O L O eius nominis Quinto Augusto Medicus fuit domesticus. Hic, inquam, cum stantem & supinè decubentem dictam mulierem crebrius attrectasset, omniaq. ossa fœtus mortui ipso tactu optimè deprehendisset, præ stupore nimio, tum admiratione summa dicebat: Deo & Naturæ nihil impossibile.

Anno igitur Domini M. D. x l i x. eadem Catharina, posteaquam anteà enixa esset duos liberos, concepit mense Martio, omnia signa habens felicis imprægnationis: fœtum insuper temporis progressu à quarto mense conceptus sensit valentem, & strenue se mouentem, usque ad festum Diuo

T

Andreae

Andreæ sacrum, eodem anno: quo sanè illi superuenere dolores partus adeò vehementes, vt iamiam crederet se enixuram. Vterus quoque mirum in modum prominebat, vberaque lacte copiosissimo turgebant: idque magis instantiæ iam^m partu quām multis diebus antea. At cum ad parturiendum nulla amplius mora expectaretur, accidit vt vetula quædam malefica & præstigiatrix ventrem huic vtero gerenti attigerit, in aures susurrarit, & in faciem sufflarit, aliaque peregerit: quæ quoniā parum ad rem nostram facere existimmo, pluribus non persequor: illius tamen meminisse placuit. nam in vetulam mulier culpam omnem reuicere videtur, quod illi res tam infeliciter successerit. Ut autem parturientium dolores cùm in ventre inferiore, tūm in lumbis sensit, statim acciri obstetricem & mulieres vicinas iubet quæ dics noctesq. aliquot partum præstolabantur; nullum tamen partus breui futuri signum obseruat obstetrix, præter illos dolores qui toto biduo increbescebant. Quare discedit, reuersura, si ita res postularit. Quid multis? dolores nihil interim remittuntur, sed diebus totis quadraginta & diu & noctu illam sæuissimè affligere non desit.

desinunt, ut totum id temporis misella ista
insomnis egerit. Ab utero quipiam interea
effluxisse, nunquam ad nimaduersum fuit.
Fœtus vehementissimè semper mouebatur
ac calcitrabat, ita ut manifestè illius motus
ab adstantibus obseruari posset: toto isto do-
lorum tempore, sudoribus quoque copio-
sissimis madebat. Lac præterea è mammili-
lis vberius fluebat: quod quia acrius, tūm
plus iusto biliosum erat, omnes ferè partes
vicinæ, quas defluens attigit, exulceraban-
tur. Quadragesimo decimum secundo &
quarto dolorum die, fœtus tam validè am-
plius moueri destitit. Dictu profectò mi-
rum, quod tanto tempore subsistere potue-
rit in columis. tandem conatu vehementis-
simò ita fœtus mouebatur, ut inde trans-
uersim in utero reuolutum mater narraret.
Dolores ab illo impetu fœtus multò mitio-
res euasere, & paulò pòst planè recesserunt.
Pòst verò diebus quatuor vel sex, cruenta
quædam ac nigra per aluum deiicere cœpit,
illis similia (ut illa inquit) excrementis, quæ
pueruli iam in lucem editi primum excre-
nere solent, cuiusmodi excrementum ege-
rebat diebus singulis ad sex libras. Cumque
antea nullus in utero collisionis ossium sen-

T 2 fus

sus voluntarius perciperetur: hic tandem putans misella se ab omnibus ærumnis liberam, vnicuique tangentis uterum sese prodere cœpit: ut etiam illam non lateat ossium foetus mortui situs, quippe cum digito mostraret, hic caput, illic costas: hic humeros, illic femora contineri. Quod ego & alij complures, me monitore, deprehenderunt. Cadauer istud seu sceletum in utero matris iacet transuersim, capite & cruribus introrsum, dorso vero extrorsum prominente. Sub ilio dextro caput receditur: quod cum profundius quam matris spinam dorsi respiciat, non sine ratione tactus nostri iudicium refudit. Ibi tamen ossis humeri, caput superioris contineri, manifesto constat. Sub ilio sinistro sunt crura & pedes: sed introrsum reflexi, ut attingi minimè possint. Coniectura tamen artificiali & anatomica ita esse: iudicare non est difficile: tum ex situ reliquo corporis, tum quia ibi os femoris aperiissimum deprehendatur. In medio ventre dorsum euidentissimum cognoscitur, vertebræque omnes facilissimum distinguuntur: costæ quoque maiori ex parte, tam superiores quam inferiores dinumerantur. turget venter maternus tumore oblongo, qui in puden-

dendum desinit: eleuat totam istam mollem sursum, eandemque pro animi arbitrio deprimit, non sine assidentium summa admiratione. ossa vero sic satis induruisse sentiuntur, ita ut validiori compressioni difficulter cedere videantur. Venter maternus interea dum attractatur, nullo dolore angitur: nisi id plus quam par est, fiat diutius. Valet sic satis illa mulier, omniaque sua munia tam domi quam in agris una cum marito suo optimè peragit: hilaris est, prudens materfamilias, & vtcunque faceta, annum nunc temporis agens quadragesimum quintum. Corpore gracili, nec habitu illaudabili. Menses cum annis quatuor essent detenti, potiunculis nonnullis illos promouentibus usq[ue], rursum manare coeperrunt in hunc usque diem. At mensibus singulis, cum eorum terminus instat, venter inferior intumescit, illamque dolores inuidunt vehementissimi: haud aliter quam si nunc nunc esset enixura: nec antea cessant, ni menses omnino eruperint. Quod si mulierem aliquo morbo laborare contingat, iisdem planè doloribus ad integrum morbi terminum corripitur. Aliud præterea notatum dignum refert, quintum nunc esse an-

num ex quo natura quodammodo istius
sceleti expulsionem tentarit. Vteric nim
osculum hiasse, & inde aliquot ossicula fui-
se egressa. qua de causa euestigio accersitur
obstetrix. ac cum satis imperita, vel potius
rei nouitate perculsa, nullum remediū fer-
re se posse indicaret, omni ope humana
hāc multis modis longè infelicissimam de-
stituens, recessit. Ipsa verò interim nihilo-
minus intrepido fortique animo, ossicula
illa vt in proprium locum retrocederent,
propriis manibus allaborauit, sic vt in pristi-
num redierint. Ab isto verò, vti nec antea,
huiusmodi quid sinistri illi accidit. Mirum
denique, quantoperè rustica illa flagitet,
summisque precibus contendat, ut abdomē
ei manu medica aperiatur, sceletumque ab
vtero eximatur. Sic enim scip̄am sanitati
pristinæ restitui posse confidit optimè. At
quo minus id tentatum hactenus sit, adhuc
sub iudice lis est.

*Historia altera de gestatione fœtus mortui ab
Achille P. Gassaro Medico ad D. Mat-
thiam Cornacem missa.*

Non absimilis tuæ Viennensis illius Hi-
storiæ, ante annos plus minus viginti
sex,

sex, apud nos quoque contigit in comitatu Feldkirchiensi: qui immediate Serenissimo nostro D. Regi attinet. Nam muliercula quædam, cui à mariti familia Pflegerin cognomen erat, quæque in pago Gettzig sub arce Montis fortis tum habitabat, vere imprægnata ad decimum usq. mensem, satis incolumis pro sua conditione sibi visa est. Ac instante tādem partus tempore, iusti dolores, nec non humorū excretiones cōsuetæ, præsentibus & agnatis & obstetricie, nulla aborsus suspicione innata, per aliquot horas illam debito exagitarunt modo. Cum autem incassum diutius laborare videtur, astantes vicinæ ad fortius enitendum subinde illam adhortatæ sunt: imò pro sua ruditate, tam incessanter ægram ad cogendum accelerandumque partum impulerunt, ac miseram mulierculam ad eiusmodi animi deliquia, tamque crebras syncopes sua ista importunitate adegerunt, vt nō solùm fœtus insciis illis suffocatus sit, sed & mater etiam euidenter de vita periclitaretur. idque defectu medicorum omnium, in tertium, aut forte plures usque dies factitatum est: donec commiserantibus cunctis, ægra illa soli Naturæ & Diuinæ clementiæ, tanquam omni-

T 4 nō de-

nō desperata, relinquetur: ac veluti omni
momēto moribunda, offulis ac gallinarum
iusculis per interualla refocillata solum sit.
Et sic misera illa per reliquum puerperij spa-
cium vtcunque curata, paulatim dolores re-
mittere, menstruorum tamen fluxum per-
seuerare sensit: & quę est Omnipotentis in-
effabilisbonitas, nullius medicinæ benefi-
cio post aliquot septimanas, indies magis ac
magis, habere melius cœpit: donec & mu-
liebre profluum cessarit, & dolores mag-
na ex parte euanuerint quoque: adeò ut illa
domesticis negotiis iterum qualicunque va-
litudine præesse fategerit: ac decrecente
insuper nonnihil vteri mole, cuncta sibi
prospera ad integrum ferè annum repromi-
scit. Quo tamē non plenè euoluto, tumor
quidam particularū in sinistra inferioris
ventris parte, paulò supra inguina apparēre
de nouo cœpit. qui dum quotidie augeri,
& demum etiam dolorem apostemosum
cum cutis liuore superinducere pergeret: ibi
mulier illa de fœtu nihil amplius sollicita,
chirurgi auxilium inuocauit primū. Is fuit
magister Nicolaus Clæsi, ciuis Feldkirchi-
ensis, suæ artis peritissimus: qui sæpiissimè
quoq. strenuissimi quondam militis Marci

Pfit-

Psittaci ab Emss castra , tam in Vngariam
quam Italiam , non infeliciter sequutus est.
Is, inquam , vigentibus tūm accidentibus,
quæ generationem puris cōcomitari solent,
tum ingenti necessitate , abscessum illum
iam ad humani capitis magnitudinem ex-
crescentem, omnino detumefacta aluo, de-
cussatim nouacula, vt in fungorum apertio-
ne usus obtinet, discidit : quo facto , tanta
fœtidissimæ virulentiae copia effluxisse fer-
tur , vt præsentium nullus , ne dum ægro-
ta mulier , aut ipse met chirurgus facile suf-
ferre potuerit. Nihilominus tamen vlcus
illud sordidissimum , præfatus chirurgus
mundicare & abstergere pro more non
destitit : quousque intra pauculos dies se-
miputrida quoque ac corrofa ossicula , vnā
cum pure exire cœperunt. Quæcum is, re-
mittentibus indies tūm dolore tūm fœtore,
vndēnam in ventrem, concavitatem nimi-
rum exossem, peruenissent , stupidus mira-
retur: en tandem erumpentibus integris ti-
biarum ossibus , posterioribusque caluariæ
fragmentis, manifestè deprehendit , ea ipsa
reliquias esse fœtus illius , quem mulier ea
ante annum peperisse debebat. Vnde vehe-
mentiore admiratione captus, decoctiones,

T 5 lotu-

Ioturas, & vnguenta qua potuit solertia, pro
ulceris profundissimi inmundificatione exic-
cationeque semper adhibuit, donec illud,
femina nihil ultra conquerente, per se se ad
consolidationem properare animaduertit.
Ibi cicatrisationi, quam vocant, inuigilans,
mulierem eam omnino persanauit. Quæ
posthac plures superstes fuit annos, ac rede-
untibus in ordinem naturalem menstruis
purgationibus, ni fallor, feliciter postea quo-
que viuum adhuc enixa puerum est. Hæc,
Matthia doctissime, non relatione tantum
aliorum recito, sed prænominatam mulier-
culam viuam & valentem, vnâ cum parti-
culis ossiculorum priorum illius infantis sui
coram vidi, & allocutus sum. Factaque su-
per prædicto negotio sufficienti inquisitio-
ne, non modò quæ iam ab aliis fide dignis
hominibus perceperam, credere didici: ve-
rùm etiam verissima esse, oculari demon-
stratione asserere possum. Nec dubito quin
tota ea regio, si opus sit, testimonium abun-
dè narrationi huic perhibitura sit.

F I N I S.

AVCTORES QVI IN
MEDICINALIVM OBSERVA-
TIONVM exemplis, ac in eorundem Scholiis, tum &c
in Annotationibus Beniuuenij citantur.

Aëtius.	Guido de Cauliaco.
Albucasis.	Gulielmus Salicetus.
Alexander Benedictus.	Hieronymus Fracasterius.
Alexander Trallianus.	Hippocrates.
Amatus Lusitanus.	Iacobus Hollerius.
Andreas Vesalius.	Ioannes Fernellius.
Antonius Beniuuenius.	Ioannes Langius.
Archigenes apud Aëtium.	Leonidas apud Aëtium.
Auicenna.	Martinus Akakia.
Bernardus Gordonius.	Matthias Cernax.
Cœlius Aurelianus.	Michaël Sauvavolas.
Conradus Gesnerus.	Paulus Ægineta.
Cornelius Celsus.	Paulus Iousius.
Cornelius Gemma.	Rhasis.
Dioscorides.	Suidas.
Galenus.	Valescus Tharantanus.

HIPPOCRATIS APHORISMI,
QVI VEL IN OBSERVATIONVM MED-
cinalium exemplis, vel in eorundem Scholiis, aut Annotationibus
Dodonzi, citantur, vel breuiter enarrantur.

Lib. 2. 42. Soluere Apoplexiā fortiorē.	fol. 19. 21
3. 12. Si verò hyems.	23
4. 11. Quibus termina.	89
5. 1. Convulsio ex helleboro.	192
3. Ubi sanguis plurimus.	186
13. Quicunque spumosum.	55, 56
33. Menstruū deficiētibus.	35
34. Mulieris sauginem.	61
40. Quibus cuncte mulieribus.	16
6. 37. Ab Angina.	35
48. Lienofis.	201
7. 51. Quibus cerebrum sphacelatum.	5
60. Quibus cerebrum aliqua.	2

RERVM

RERVM ET VERBORVM
MEMORABILIVM IN OBSER-
VATIONVM MEDICINALIVM
EXEMPLIS INDEX.

- A**BDOMINTS muscularum inflammatio. 64
Abscessus mesenterij. 169
Abscessus tonsillarum foras crumpentes. 35
Abscessus Theriaca apertus. 214
Acus assumpta per urinam redditia. 156, 271
Acus perforato stomacho exit. 156
Aer frigidus capitis vulneribus nocet. 4
Alapa mortuus. 257
Alui excrementa intra peritonium collecta. 82
Aneurisma. 110
Angina difficilis. 38, 42, 175
Angina incisa. 175
Anilia remedia non temere contemnenda. 121
Ano clauso natus. 166, 167
Apoplexia fortissima qualis. 18, 19, 21
ab Aqua inter cutem curata. 256
Aqua inter cutem. 145
laborans rusticus liberatur. 146
Aqua inter cutem: vide Hydrops.
Aqua potu frigidissimo homo perit. 151
Arteria incisa. 186, 187
Ascites. 147
Aurum vermes. 261
Aurum vermes quæ carent. ibid.
B.
Brachium ab humero diductum. 226
CALCVLO euulso sanata est mulier. 302, 224
Calculus sponte excidens. 102, 222
Calculi in vesica xii. 101
Calculis in vesica sponte ruptus. 98
Calculus pulmonis. 52, 161
vide Lapis.
Calidiore humore caput petete puerula mortua. 243
Callus in arteria cordi vicinus. 152
Callus in mesaraicis. 154
Callus ventriculi. 154
Canis rabidus quomodo agnoscatur. 31
Claudus ex casu liberum gressum recepit. 194
Clavus anus. 166, 167, 236
Clausum intestinum. 168
Clausura naturalia. 165, 168
Capitis vulnus. 3
Capitis os erosum. 153
Capilli nigri post casum capillorum canorum. 262
Catalepsis. 21, 349
Catarrhus suffocans. 22
Catochus. 8, 13, 184, 249
Catochus absque febri. 11
Catochus ex vermis. 265
Catochus in sene. 14
Catochi exemplum ex Galeno. 15
Carcinomate exagitato mors sequitur. 216
Carnis frustulum eiectum. 232
Caros quid sit. 17, 18
Carunculae in meatu penis. 94
Cerebri concusso. 1, 4, 264
Cerebrum punctim lœsum. 6, 7
Cerebrum sphacelatum. 5
Cochlearia. 76
à Cœliaco morbo curatus. 253
Cœliacus morbus qualis sit. 254
Coles incisus non potuit sanari. 211
Colocynthidis in enemate excessus periculo non vacat. 22
Colum intestinum flatu distentum. 86
Columbae quadam proprietate humana natura amicæ sunt. 120
Coma agrypnon. 11
Comitialis morbus. 183, 240
Confectio alcermes nimio vsu viscera erodit ac corrumptit. 117
Conuulso ex utero. 241
Conuulsiones pueris à lumbricis. 236
Cordis arterie tuberculū adnatū. 172
callus adnatus. 173
Cordis pars patefacta. 179
Cordis palpitationis causæ. 117
Cordis tunica lœsa curata. 207
Cor pilis refertum. 227
Cornu è vulnere natum. 270
Cyaneus lapis interna viscera exulcerat & putrefacit. 117
DENTES noui vetulæ nati. 262
Destillatio quandoque citè intermit. 23
Diabes

T I N D E X.

- Diabetes. 98
 Dysenteria. 238, 239
 Dysenteria à quartana aliquando liberat. 200
 Diuretica fortia calculosis noxia. 100
 Diureticorum intempestiuus usus periculosis. 105
E L E P H A N T I A 241
 Elephantiasis Græcorum ab Arabeum Elephantia differt. 113, 242
 Elephantia Arabum quid sit. 113
 cur sic dicatur. 242
 Elephantia Arabicæ causa humor ad alimentum destinatus. 115
 ab Elephantiasi liberatus. 158
 Enterocœle. 207
 Epiploocœle. Ibid.
 Excrements per pudendum muliebre reddita. 230
F A M E S valida. 195
 Febris ex horrore flammæ. 204
 ex Febri stata mors. 228
 Femoris os erosum. 223
 Fluxus oratione curatus. 182
 Fœtor pestilentiae quandoque remedium. 268
 Fœtus in utero mortuus membranum exemptus. 276, 291
 Fœtus mortuus XIII. annis in utero gestatus. 288
 Fœtus mortui in utero gestati ossa per abscessum apertum expurgata & exempta. 297
 Fons in agro Leodiensi. 36, 94, 97, 99
 Fortuna nonnulli curantur. 256
 Frigidissimum emplastrum mortem attulit. 150
 Frigidissimo aquæ potu vir perit. 151
 ex Frigidissimi vini haustu defecatio. ib.
 Frigidi lactis, cui ademptum est butyrum, nocumenta. 152
 Frontis vena aperta, lingue impedimentum solutum. 267
 Frontis vulnere senex à coecitate liberatus. 167
 Fulmine attoniti. 159
G A N G R A E N A à dígito pedis incipiens lethalis. 62, 214
 Gelatus. 247
 Gemini pueri. 258
 Geuu miraculo sanatum. 240
 Gonorrhœa venerea. 94
 Gula abscessus. 251
H A E M O R R H O I D E S. 109
 Ex Hellebore conuratio lethalis. 192
- Hæmoptoe in phthisim transit. 29
 Hydrocœle. 29
 Hydrocœles periculosa sectio. 93
 Hydrophobia à morsu canis. 29
 Hydrophobia nō diurnus affectus. 30
 Hydropœ correptum bonis visceribus predictum esse oportet, si sanus fieri volet. 59
 Hydrops. 59, 145, 146
 curatur aquæ potionc. 148
 Hydrops vteri. 109
 Hydromphalon. 59
 Hypofarca. 147
 ex Horrore flammæ febris. 204
 Horrore puer mortuus. 205
 curatus. 206
I E C V X iuduratum. 133
 Inflatio vteri. 109
 Ilei dolor. 85, 178, 254
 Ileos haematis qualis Hippocratis
 Morbus. 79, 80.
 Incubus qualis. 28
 Inflammatio circa fauces & oris partes astringentia initio requirit. 38
 Insania. 24, 243
 Insania nocturna. 27
 Intestino clauso vita finitur. 168
 Intestinorum dolore mortua. 172
 Intestinorum dolores & tormenta frigidis curata. 260
 Intestino graciliore scisso vita amittitur. 220
 Intestina prolapsa ex umbilico & ex utero. 115
 ab Intestinorum terminibus viscera crosa. 238, 239
 Intestinorum tunica tussi scissia. 205
 Iocinoris ulcus. 63
 · sphaelus. 66
 Ischuria. 103
- L A C R Y M A S** sanguineæ. 34
 Lactis frigidi, cui ademptum est butyrum, nocumenta. 152
 Lapis exintestinis eictus. 154
 Lapis tussi exvulsus. 160
 Lapide percussus. 3
 Lapides in tunica hepatis. 132
 Lapides in vesica fellis. 133, 235
 Lateris dolor in phthisi. 52
 à Lepraliberatus per incuriam. 157
 Lethargi causa. 17
 Lethargus morbus difficilis. 16
 Lethargici pectore suppurantur. 259
 à Ligis vitio curatus. 243
- Lingue


I N D E X			
R esplrandi difficultas.	43, 203	Sudore represso sanatus.	192
S AGITTA carnisibus evulsa.	162	Suffocationis periculum.	43
Sagittæ ferrum dorso impactum poti biennium per inferna descendit.	273	Superioratio.	259
Sanguinis è brachio detractio incommodè fit multicribus ab utero affectis.	13, 14	T A B E S missione sanguinis curata.	
Sanguinis è gingivis profluviuim.	33	180	
Sanguinis glutinis modo concrescens lethalem aut diuturnum morbum significat.	17	Teli pars sternutatione post xxv. annos reiecta.	275
Sanguis vulnere facto non statim reprimendus.	266	Theriaca abscessus apertus.	214
Sanguineæ lachrymæ.	34	Tenuioris intestini morbus.	254
Sanguinis copiosa missio qualia percula adferat.	186, 188, 196	Tetanus.	270
Sanguinis missione iocinoris vitium curatum.	219	Tineæ quandoque sub pedibus ligantur.	120
Sanguis mulieribus ex pedis vena tuitius detrahitur.	14	Tympanites.	87, 89, 226
Sanguinis missione mutus restitutus.	213, 214	Tormina intestinalis frigida curata.	260
Sanguinis missione plenitudo soluta.	212	Tonsillarum inflammatio & abscessus.	252
Sanguinis profusio vulneratis prodest.	266	Tuberculum supra cordis arteriam.	
Sanguinis ex poro fluxus.	133, 134	172	
Sanguis spumosus.	54	Tussis sanguinis missione curata.	201
Sanguinis ex vena detracti consideratio.	11, 13, 14, 17	Tussi scissæ intestinalis tunica.	206
Sanguis vitæ thesaurus.	197	V A S I S in pulmone rupturæ cauæ.	
Sanguinis vomitus.	57	54	
Sanguinis vomitus ex liene.	58, 60	Vicus iocinoris.	63
Sanguinis vomitus ex utero.	60, 162	Vicus menti dentis euulsione sanatum.	159
Sanguinis cum vrina exitus.	73, 74	Vlcerationum.	163
Scorbutus.	74	Venerea gonorrhœa.	94
Scorpij venenum frigidum.	195	Venerea lues.	129
à Scorpioneictus frigidū sudavit.	ib.	Venæ in naribus sectio mortis causa exstitit.	267
Scorpius in cerebro natus.	246	ex Vento mors subsecuta.	225
Serapium ex Adiantho.	53	Ventriculi vlcus.	56
S opor vigilans.	11	Veratro epoto strangulatus.	189
profundus.	1, 3	ex Veratro albo mors.	190
Spasmo Cynico mortua.	246	Vermes in auribus.	261
Sphacelus quid sit.	68	Vermes aurium quibus currentur.	261
Sphacelus cerebri.	5	Vermes Cucurbitini.	231
Sphacelo correptus puer.	115	Vermes crucis similes.	230
Sphacelus iocinoris. 66 pulmonis. 54		Vermium multitudo eiecta.	229
Spirandi difficultate mortuus.	203	Vermis è nare projectus.	129
Sternutatione teli pars reiecta.	275	Vermis vomitu projectus.	245
Stomachi elenatio.	177	Vermis ex pectore propulsus.	241
Stomachi vitium sanatum.	208	Vermis in vesica.	222
Strangulatio ex re in asperam arteriam delapsa.	274	Vini frigidissimi haustū defectio consequita.	151
Struma ingentis magnitudinis curatum.	149	Virgo aliquot mensibus à cibo abstinuit.	268
		Vir lactauit puerum suum.	271
		Virgo lac habuit in vberibus.	272
		Viscerum internalorum omnium corruptela.	61
		Vlcera in scorbuto quido accedit.	80
		Vmbilicus prominens.	59, 136
		Vmbilicus prominens in pueris quomodo curari debeat.	137
		Vmbilicis	


R E R V M E T V E R B O R V M.


Lingua impedientum solutum læsa frontis vena.	267	Neruorum dissentio.	186, 198
Sérupos temerarius.	102, 103	Nigri capilli renati post canorum ca- pillorum casum.	262
Lycanthropia quid sit.	28	O C V L O perforato visus restitu- tus.	219
Lubricantia officula in œsophago hæ- rente nihil proficiunt.	38	Oris graueolentia.	57
Lumbricus latus.	222	Oris & faucium inflammatio astrin- gentia initio requirit.	38
Lumbrici lati ac rotundi.	229	Orthopnoea.	45
Lumbrici puero molesti.	235	Orthopnoea laborantes cur decum- bere nequeant.	47
Lucri conuulsione.	236	Osfuræ resecatum.	162
Luces venerea.	129	Ostium abcessus.	270
M A N I A.	24, 27, 243	Ostium capitis erosum.	153
Mania cum Melancholia affini- tatem habet.	26	Ostium petrosi fissura.	1, 7
Mania in hemoptoëñ cōuersa.	25, 245	Œsophagi inflammatio ab impacto piscis osse.	36
Matricis ventositas.	109	Officula in œsophago impacto quid faciendum.	38
Maximus casus omnia succedūt gra- uiissima.	3	Ozæna.	164
Melancholia cum Mania affinitatem habet.	26	P a d i s tumor.	112
Melicera pro carbiculo iudicata.	210	Pedibus quæ subduntur in magnis & ardentibus febribus.	120
Memoria amissa ac recuperata	10, 185	Peripneumonia popularis.	47
Mensibus non prodeuntibus corpo- ra femininarum morbos.	35	Pestilenti febri correptus.	193
Menti vlcus dentis euulsione fau- tum.	159	Petrosi ostis fissura.	1
Mesenterij inflamatio & abscessus.	170	Phrenitis unde fiat.	17
Miraculo genu sanatum.	140	Phrenitici qui dicantur.	7, 243
liberatus.	142	Pilulae Iliace Rhafis.	85
Mola.	107	Plenitudo nimia sanguinis missione sanata.	212
Mola ventosa.	264	Puer horrorem mortuus.	205
Morbus comitialis.	240	Pulmonis calculus.	53
Morbus gallicus.	122	sphacelus.	54
Mortui corpore aperto q̄st reperta.	63, 233	Pulmonis inflammatio non semper citrà dolorem.	58
Mortuus fœtus vncō extrahitur.	166	Pulmonis substantia in pus conuersa.	40
Mortuus fœtus per incisionem exi- mitur.	167	Pus pverritam redditum.	179, 272
Mulier vulva carens vixit annis de- cess.	144	Q V A R T A N A E accessio inclinan- te fit die.	200
Mulier à malo spiritu oppressa.	139	Quartana accessionis diem mutat. ib.	
Mulier post L X. annum ter peperit.	263	Quartanam male curatam sanitas & mors sequuta.	197
Mulieribus ex pedis vena sanguis tu- tius detrahitur.	14	Quartana morbus longus.	199
Mulier ex lapsu vrioā continere non potuit.	237	R A M E X quomodo fiat.	207
Mutus læsis neruis factus.	235	à Ramice curatus periit.	217
Mutus sanguinis missione restitutus.	213, 214	Ranunculus linguz effectus curatus.	31, 32
N A R E S exulcerat.	363	Ranunculus cum tonsillarum inflam- matione curatus.	33
Nasturtium hortense	76	Remedium non ab inuentoris condi- tione laudandum aut improban- dum: sed ex facultatibus de eo in- dicandum.	
Naturalia clausa. curantur.	168	Respiratio composita actio.	128
Neruis læsis vox deperdita.	235	Respi-	
Neruorum cervicis tensio.	249		


	K E R V M E T V E R E O R V M .		
Vmbilici vnitas soluta.	177	Vrina rubens in morbo frigido;	69
Velvulus sanguineus.	80	Vrina sanguine permista.	73
Vomitum mensis projecti.	60, 61	Vrinæ stillatidium.	106
Vomitum vermis projectus.	129	Vrinæ suppressio.	103
Vomitus sanguinis.	57, 60	retentio.	105, 138
Vinum stillatitium.	8	Vteri inflatio.	264
Vrina ex ano.	137	Vteri morbus inedia curatus.	255
Vrina ex alienis locis profluens.	166,	Vteri strangulatione correptæ viden-	
	234	tur Catocho occupatæ.	14
Vrina perforamen redditæ.	223	Vulgj aut agyrtarum remedia citra-	
Vrinæ incontinentia ab exciso calcu-		rationem non abiicienda.	121
lo.	103, 262	Vulnere frontis à cœcitate fenex li-	
Vrinæ incontinentia ex lapsu.	237	beratus.	267
Vrina intra peritonæum collecta.	81	Vulnere facto non statim sanguis re-	
Vrinæ profluuum.	96	primendus.	266
Vrina rubes ex debilitate renum.	71	Vulnus capitisi.	3


F I N I S.











77

